
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Firmam ut calybem seruo
Fidem; et oculi tui semper ad Dominum.
America Septentrionalis.

OPUSCULUM VITÆ, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM VEN. SERVI DEI FR. SEBASTIANI AB APPARITIO

Ordinis Min. de Obſeruantia Laici Profeſſi Prouinciæ Mexicanæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AUTHORE
FRATRE NICOLAO PLUMBENSI,
DIACOVENSI, SEU BOSNENSI EPISCOPO

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO PAPÆ XII.

LITATUM.

Cura, ac ſolicitudine R.P.F. Ioannis Fernandez Zejudo, actualis in Curia Cauſæ Canonizationis Serui Dei Procuratoris.

ROMÆ, M.DC.XCVI.
Ex Officina Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ:

SUPERIORUM PERMISSU.

SS.[mo] CHRISTI VICARIO,

DIVI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS

In Summo Militantis Eccleſiæ Pontificatu Vero, Optimoque Succeſſori,

INNOCENTIO PP. XII.

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum Ven. Serui Dei

FRATRIS SEBASTIANI AB APPARITIO

Laici Profeſſi Ord. Min. De Obſeru. Prouinciæ Mexicanæ

SVBMISSISSIMA DEDICATIO.

SANCTISSIME PATER.

QVOD flacceſcenti, & proprio ſtatu iam 1.
per immanes tyrannos proſtrato, relanguenti quondàm Romę, è faſtigio Capitolij præſaga denuntiauerat Cornix, vt ſubditur:

Nupèr Tarpeio quo ſedit culmine Cornix
Eſt benè non potuit dicere: dixit ERIT.

beatum ipſi poſt tot atroces his auſpicata Principatum; quot illa tùm ſa-

go, togaque illuſtrium Politicorum vota deluſit? quot ſublimium Oratorum facundiam fatigauit? quot & Philoſophorum acutas ratiocinationes fefellit? Quùm alij ex Æneadum regali proſapia, alij ex tot inſignium Conſulum generoſa propagine, quẽpiam fortium eo fœlicitatis omine, qui patrium ſeruaret honorem, ſurrecturum, alijquè nonniſi imperatoria tantę molis dominatum authoritate ſtabiliendum ominarentur; donec Tarpeio tandem ad Vaticanum diuinitùs vertice flexo, Diuinus hic, quem in Dei Vicaria Maieſtate glorioſè S. V. moderatur Principatus, è Sacro Petri Solio ſole radiantior caliganti emicuiſſet orbi; & Romam, quæ *à robore* græca Ρωμὴ etymologia, vt plerique autumant, deriuat, verè Romam, ſeu *Robur*, fortitèr, ſuauitèrque diſponentem cuncta in orbe condidiſſet, & hoc ipſo verè caput

Solin. cap. 2. Pomp. Feſt. de antiq. voc. ſig. lib. 16. Henr. Farneſ. append. 2. de interpr. verb.

put orbis conſtituiſſet. Eſtò namque ipſa primitùs tanto robore ſuorum, ius imperij tellure, & æquore quaquauersùm protulerit; *minùs tamen eſt*, inquit ſuus ille facundiſſimus Princeps, & Orator, *quod illi bellicus talium labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Minùs vtique quidquid tot deuictarum gentium, regumque earum, prænotatis ſolemni triumpho titulis, (quos etiamnùm ſua rudera dictant) ex Africa, Hiſpania, Iberia, Armenia, Iudæa, exque Albania, ipſius gloriæ belliger conſciuit Pompeius; quã quod diſpoſito ſic cœlitùs eius Principatu, tot regna, ſuo iam confœderentur Imperio, & per totum orbem peruios habeat populos Chriſti fidei prædicatio generalis, quos vnius huiuſcè tenet nunc regimen ciuitatis. Minùs longè quidquid, & cunctabundus ille ſuus Dictator Fabius, nõ abſque ipſius eximia laude, primus

S. Leo ſerm. 1. in Nat. ss. Apoſtol: Petri, & Pauli.

rem

rem Romanam, aliorum temeritate labefactatam, reſtituendo, & irreconciliabilem Romani Nominis hoſtẽ, cæteroquin inuictum Annibalem, proterendo, contulit; quàmquod Didaſcalus ſuus Chriſti fidei Dictator Romanus Pontifex, erutam de luctuoſo ſuperſtitionum cunctarum mancipatu, in perfectam cultus Dei Veri libertatem aſſeruerit, & abolito in ea magiſterio erroris, Principatum erexerit veræ Religionis. Minùs pariter quidquid Cęſar quoque ſuus illi toto orbe ſubegit, Gallia in Prouinciæ forma ſubacta, Britania eatenùs ignota, ad æs, & obſides adacta, inflata, & repugnante Germania acerrimis cladibus affecta, deditis Hiſpania, Ægypto, Alexãdria, Ponto, totaq; Africa, & reliquis, in eiuſdem triumphos; quãquod huic ſuo Sacroſancto Principi ſupernè tradita ſint omnia Regna mundi, & Claues quoque

Re-

Regni Cœlorum. Minùs item quidquid ſui reliqui ad quodlibet orbis latus ſtrenuè pro illius gloria attollentes lacertos præſtiterunt; quàm quod Sanctiſſimi Patres ſui Romani Pontifices, à Deo ſuper omnem terram conſtituti Principes, Diuinam authoritatem illam, qua quidquid ſoluitur, vel ligatur in terris præiudicata authoritate totum ſoluitur, & ligatur in cœlis, ad fines vſque terræ in omnium ſalutem prouexerint, & Primatum Apoſtolicæ Sedis in ea, aduerſus quoslibet impetitores illius ineluctabili conſtantia propugnauerint. Minùs denique quidquid, & illi pro fama magnitudinis eius decertantes ediderunt, quos ſacer textus gemino: *quia ſunt potentes viribus*, fortitudinis encomio collaudat; quàm quod eam hi ſui Paſtores inclyti ad tantam gloriam ſublimarint, vt gens ſancta, populus electus, Ciuitas Sa- 1. Mac: cap: 8:

cerdo-

cerdotalis,& Regia, per Sacram Beati Petri Sedem effecta, latiùs nunc præſideret religione Diuina, quàm vnquam dominatione terrena.

2. Quidnì igitur: *Minùs eſt quod illi bellicus labor ſuorum ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit?* Pax Chriſtiana equidem, à qua Roma robur totum duxit, poſtquam almo Petri Solio ſubnixa reſedit in cultu Numinis Supremi petrę ſolidiori firmitate ſtabilior. *Tanta enim diuinitùs ſoliditate munita eſt, vt eam neque hæretica vnquàm corrumpere prauitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia.* Pax Chriſtiana vtique, quæ robur eſt Chriſtianorum, & Roma; à qua, velut à capite Diuinum vnionis robur effluit in Chriſtiana membra; vt portæ Inferi non prꝑualeant adverſus eam. Pax Chriſtiana ſanè; cuius ſolius Diuino robore Roma vallata, obnoxium ſibi reddit vniuerſum orbem. Pax Chriſtiana inquam,

S. Leo ſerm: 2. in anni. aſſump. ſuæ.

quam

quam Plenipotētes Vicarij illius,qui eam de cœlorum altitudine detulit, in omnem terram, & in fines orbis terrę, tot fidei miniſterijs protulerũt, tot Sanctorum euangelizantium pacem, euangelizantium ſempiterna bona, pręddicationibus propagarunt, tot largitionibus ſpiritualibus, & tēporalibus fouerunt, tot Concilijs in vnitate Fidei ſtabiliuerunt, tot legationibus aluerunt, tot benedictionibus ſuſtinuerunt, tot Spiritus Sancti Conſilijs dictarunt, tot proprijs patientijs ordinarunt, totquè precibus à tanti boni Datore efflagitarunt.

3. Quam & S V. ijs cunctis pietatis officijs,& ſolertia,quā vix ſua ętas capit,non ſine fœlici ſucceſſu enititur, inſtruitque,ac ordinat;vtPrincipatus hic pacis,à Diuino S. Sedis Romanę robore, velut ſol à ſuo polo ſupereminenti fulgore in orbem effuſus,per interpoſitionem tantæ Sanctitatis,

opacam Mahometi lunam, in eclipticum perpetuò abigat deliquium: Moles quidèm hęc ſatiùs immortali Numine, quàm mortalium quouis conamine gignenda; merita tamen S. V. tutò procedunt vtrinq;, vt eam plenipotenti facultate perficiat. Quę vtpotè ipſas quoque naturæ affectiones, perniciosè publicæ vtilitati derogantes, tanta virtute cöercere nouit, vt præcelſa, eaque ampliſſima propinquitate à ſe amputata, diſcordia quæque Chriſtianitatis membra priuatis cupiditatibus cedendi, cauſæ communis amore, Supremi omnium Capitis, quod eſt, cogat ad exẽplum. O quàm genuinè imbuta illo Chriſti, non diſcernentis Vicarium à Diſcipulo: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum; & proijce abs te*, vtriuſque ſic munus impleuerit! Ad mentem planè Magni mei Cõnationalis Hieronymi: *Si ita eſt: quis tibi coniunctus*,

vt

vt manus, pes, oculus, & eſt vtilis, atque ſolicitus, & acutus ad perſpiciendum, ſcandalum autem tibi facit, melius eſt, vt & propinquitate illius, & emolumentis carnalibus careas, nè dum vis lucrifacere cognatos, & neceſſarios, cauſam habeas ruinarum. Lib 3. Cõn c. inc. 18. Math:

4. Ecquid autem à tot, tantiſque Herōibus propinquitatis S. V. Dei Eccleſia ſibi metueret? Quorũ opes ad æraria regum ſuppetunt; quorum opera reges potiora ſuorum regnorum obeunt miniſteria; quorum ditio in complures principatus propagata, conſpicua redditur toti mundo; quorum omnigena virtus in Muſęo Chriſtiani Splendoris, candet pietate morum, rutilat pręclarorum gloria geſtorum, triumphat puritate amorum, luxum fręnat voluptatum, perfidiam proculcat animorum, affectus proborum ad ſeria, velut Citharedo permouet melo, dulciloquijs calamos flatibus vrget, & in qualibet facultate

libris heroica mandat. Quoſque ob hoc, vtpotè tantę Virtutis Alumnos, cæteri prætio regali ab exili quoque conditione redimerent, vt propriæ ſtirpi non minus, quam Eccleſiæ ſtatui ea ſorte in eis proſpicerent. Quid enim? Plebeiumnè magis animum quàm principem, precarium quàm liberum, aduentitium quàm natiuũ, inertem quàm generoſũ, & ignarum quàm eruditum Aula Summi Pontificis, ſtatus gubernacula, & Claua vniuerſalis gubernij, Infulę, & Galeri addecent? Cũ tamen ſol ſit in Hemiſphęrio mũdi Summus Pontificatus, ei, celebri quoque adagio Pöetæ: *lux inimica propinqua*. Et proindè mente Apollinea, nè inquã diuina, & Maieſtate Phębea, procul à Pontificia Aula faceſſere iuſſit S. V. eiuſmodi propinqua lumina, ab Eccleſię promptuarijs abdicauit, abercuit etiamnùm à gubernaculis, & Dignitatibus. Vt ſic

Virg. 5. Aen.

ſic

ſic proprio generi non minùs, quàm Dei Eccleſię ingenitum ſplendorem conſulens, vnumquemq; coniunctorum in geniali ſerie conſiſtere, ac veluti ſydera, vt clariùs micent, procul à ſole, à ſuo Solio diſtare iure optimo decreuerit. Secùs verò illos regia corona, quæ vnica eis defuerat, redimire nequiuerat, quàm, vt quiſque eorũ in propria ſphera regnaret, à Summi Pontificatus Regia, cuncti faceſſerent. Talibus profectò vt intimis amicis, veriſq; ac ſolis ſuis Principibus, Roma pridém Prudentij carmine applauſit, nuncque prudentium votis alludit

O clari ſalaete Duces, generoſa propago
Principis inuicti; ſub quo ſeniũ omne renaſcens
Depoſui; vidique meam flaueſcere rursùs
Canitiem &c.

quatenùs & Principis, cuius ſunt auitæ generoſitatis propago, vis animi inuicta, & eorum valor diademate

Roma-

Romani Ducatus redimitus,famam
immortalem renaſcentis Romæ,ob-
5. tineant in Orbe.Quid his celebrius?
Quid ſublimius?Quid auguſtius?Dũ
reuera ſub auſpicatiſſimo hoc S V.
Principatu, Romam , ſenium omne
depoſuiſſe,renaſciq; ſpectabiliorem,
quis non videat ? Hoc nunc & parij
lapides, qui ſtant ſpirantia ſigna lau-
dum ſuarum, ab auguſtis prominen-
tes Curijs,publicique cõmodi Quæſ-
torijs , terra , aquaque priſco Romæ
faſtu excultis; hoc & Palatia Chriſti
Pauperibus, quos propinquorum vi-
ce,Palatinos ſuos eſſe ſtatuit, dicata;
hoc & opima ſtipes in eoſdem aſſi-
duè erogata , hoc miſerorum quorũ-
uis conditio, paterna ſua charitate,
in ſpem ſortis melioris erecta ; hoc
iuſtitia illa , quam ſine acceptione
perſonarum adminiſtrat; & tàm ma-
gnum quemque , quàm minimum,
iudicat in æquitate,vt nulli proſit ma-
gnum

gnum, eſſe, niſi ſibi Innocentio & ipſe innocens probetur; nec minimum vlli, ſi reatus noxę exceſſerit meritum veniæ; tanta verò Clementia attemperat rigorem in vtrumque, vt nemini exitialis eueniat, niſi qui ſibi præfiſus de impunitate, nocens eſſe perſtiterit; hoc & vniuerſi Eccleſiaſtici ſtatus ſeries, partim, in eo portubus, regia magnificentia extructis, ijſque, vt res Romana ſit iam in perdiù optato portu, regijs immunitatibus, obuallatis; partim & Vrbibus, qualemcumque caſum ſubijſſent, munifica donatione illuſtratis, vt reliqua, quæ nemo facilè referret preteream; viuida forma comprobant. Quodque humilitatis, quę ſola in altitudine regnat, Principe, & Charitatis quæ vnica non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. Magiſtro digniſſimum; ea cuncta S. V. ab hu-

mana.

mana quantalibet opinione, per nominis, Famæ Stirpis, Inſigniumque ſuorum vbique ſuppreſſionem, ſubducit. Vt hoc prę cęteris signantèr, anormis ille, simplexque Sarcophagus, quem sibi, parco etiam Eleemosinarum ſuarum fœnore, exemplo Sanctiſſimi Pręſulis Ioannis Eleemoſinarij, viuens adhuc S V., in præaltioris Diuinarum S Petri interiorum Ædium portæ ſuperliminare ſuſtulit, exaggerat. Qui cęteros, dum viuebant, exanimaſſet; S. V. autem ratio perpetuò viuendi eſt. Illis informe aliquod tantę Maieſtatis adhuc fœlicitèr regnantis ſpectaculum fuiſſet; S V. ſalutare mortalitatis ſuę ſpeculum ſit. Illis ſaltem poſt mortem, cum piè liceat, loco, forma, figura, & celebri encomio laudum, ille reſplenduiſſet, S. V. Monumentum ſolùm eſt, vt, talem loco, forma, & figura eam exhibeat mundo poſt mor-

tem,

tem, qualis ipſa nunc eſt in Vita.

6. A cuius proindè tanto meritorum robore, virtutumque ſplendore, Opuſculo huic robur, & gratiam auſpicatus; ſubiectum, quod eo dedico, ſolo tantæ Sanctitatis Numine dignum, ſum arbitratus. Quippè cum Dei Vicariæ Maieſtati V. à nobis obſequendum ſit per media, virtutem dumtaxàt, & Sanctitatem redolentia, vtique nec his fragrantius, nec ſelectius vllum ad id aſſumere valui, quàm quod eidem præſento; vtpote: *Vitam Ven. Serui Dei Fratris Sebaſtiani ab Apparitio*. Illius nimirùm vitã, per quem, ceù per ſacra rudimenta, & incunabula virtutis, affluentèr apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, in occiduo orbe, velut in tenebris, & vmbra mortis degentibus, ad æternam vitam. Per quem, inquam, omnigeno virtutum fulgore, in ſupereminenti gradu coruſcum, vt lucu-

lentèr, eandem ſuam vitam peruolventi, apparet, Orbis ille nouus, ſylueſcens adhuc, rudis, ac informis, tanquam per præpingue quodam pietatis Nouale, affluentia bonorum omnium exuberauit. Immò per quē is primordia ſua ab illius pręfulgida vita duxit profectu virtutis irradiata in omni perfectione Christiana. Hanc ego Vitam, Sanctitatis noui orbis Primitiarum titulo, S. V., eiuſmodi potiſſimùm Dei Eccleſię in extremis terræ conſtitutę, fructibus exhilarandæ, pro cunctis Americæ Septemtrionalis auri, & gemmarum theſauris, filiali deuinctione, & humillimorum obſequiorum deuotione deuoueo, & conſecro.

S. V.

Humillimus, & proſtremiſſimus ſeruorum

Fr. Nicolaus Plumbenſis Diacouenſis, ſeu Boſnenſis Epiſcopus.

AVTHO-

AVTHOR LECTVRO.

IMPAR quidem mihi facultas, perafabilis Lector, ardua breuiloquentiæ emphaſi ediſſerendi ſublime admodùm, quod, & quemadmodùm titulo libelli præfero, aſſumptum; amplitudinem Sanctitatis eo propoſitæ, longè ingentiorem arbitranti, quàm fuerit proceritas gigantis, quem in arcto nequiuit campo, ártis eſtò magiſter, depingere Apelles. Quid enim ſublimiùs virtute? Quid animo virtutibus exculto excelſius? Quid Sanctitate, ſeu in Virtutibus ſancita firmitate eminentius? Non modò nulla gigantea, quantùmuis nimiùm excreſcens, verùm nec totius orbis, in æthera vſque prouecta moles, altitudinem eius adæquat, quæ empyrea dumtaxàt celſitudine cöæquatur. Et hanc mihi fas ediſſerere? Hanc, quæ empyreis clauditur finibus, quorum fines nulli, nec apices vlli, ſed totum abyſſus immenſa, mihi animus nunc pertractare? Et quidem in viro, qui ab ipſa infantia exultauit vt gigas ad currendam viam Mandatorum Domini, in eaque adeò ſolertèr per omnes perfectionis gradus cucurrit toto ſuæ vitæ decurſu, vt reuerà virtutum, & perfectionis gigas inde nuncupatus meritò extiterit. Apellis tamen, ſui gigantis digitum ſaltem delineantis, cuius excreſcenti nimis magnitudine, quàm totus enormitèr excreuiſſet deſignabat, non imperito inſtructum excogitatu; potiora ſolùm ex tot eximijs virtutum prædicatis, quæ de ſolemni hoc ſubiecto, noſtro videlicèt Seraphico Gigante Apparitio, ab inſignibus vtique Authoribus ſparsìm, & partim, alterique, at-

que alia methodo adiecta operi, enuntiata ſunt per orbem; in ſubiunctum Opuſculum ſerie ordinatiori, & lectitationi faciliori, perſtringere, me ergà illum,

8. & te, mera deuotio inceſſit. Ergà illum quidem: eo

Eccleſ. cap. 37. hortatu Diuino: *Cum viro Sancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei; cuius anima eſt ſecundum animam tuam; & qui cum titubaueris in tenebris, condolebit tibi*, prouti, & hic mihi, immani, tetraque belua Podagra torto, non ſemel pientiſſimè condoluit, & benignam iaculatoriè ad eum ſuſpiranti ex prælecta ſua vita, opem tulit. Ergà te verò. Quod in prægelido hoc, nimiumque Sanctitate ſterili ſæculo, opus ſit, ad erigendum ſpem ſalutis, huiuſmodi inſolito Spiritus, & Virtutis feruore, à communi in eo vtroque torpore ſubleuari; & ſcientiam Sanctorum, quæ nuſquàm fructuoſiùs, quàm ex Vitis, virtutibuſque eorum nanciſcitur, diſcere, nactamque, vt Sapientia fiat, praxi perficere. Quorum namque præſidia, & conſortia tandem, ambimus, diligere vitas, virtuteſque ſequi oportet; *Vt imitari non pi-*

S. Aug. ſer. 47. de ſanctis. *geat, quod celebrare delectat*. Hæc eſt enim, Sapientia illa hominum, & Scientia Sanctorum (ex vitis nempè, virtutibuſque hortum hauſtæ,) de quibus admirabile illud Sapientiſſimus ille mortalium protulit: *Stultiſſi-*

Prouer. cap. 30. *mus ſum virorum* (virum timoris Dei denotans) *& ſapientia hominum non eſt mecum, nec noui Scientiam Sanctorum*.

9. Quam vt hinc non nihil ſalutari profectu elicias, ſubiectam huius Serui Dei Vitam, vt candidè perſuadeo, piè crebriùs peruoluas. Comperiturus in ea proculdubio, Seruum Dei non mediocritèr virtutibus coruſcum, ſed ſuperlatiuè, & in heroico gradu, ijſdem refulſiſſe: quibus in viro agreſti, & prorſùs

ſuis illiterato,ſeriò perpenſis, neceſsè eſt, quemuis animum, in via ſalutis hebeſcentem, efficacitèr excitari; quàm maximè autem viuacem, vt tuus eſt, & eruditum.

10. Inter pleraquè verò mirifica, quæ illius Sanctitatem conſpicuiorem reddunt ſunt, Pudicitia ipſius Virginalis, procelloſis compluriès periculis in caſsùm pertentata, & iterato coniugio inuiolata. Simplicitas propemodùm viri ſtatus innocentiæ. Iucunditas cordis ſubeundi perindè laborioſa quæquè, & pœnalia, ac gratioſa. Hilaritas Apoſtolica erogandi egenis, quidquid indefeſſo manuum labore, & operoſa induſtria conſequebatur. Et hinc Miſericordia ſingulariſſima, Humilitas profundiſſima, & præter totalem mundi, & ſuipſius cum eo abnegationem, perenne, intrinſecumque cœli deſiderium, atque intuitus ſuper omnia voluptuoſior. Obedientia tanta ergà Superiores, & Manſuetudo ergà omnes, vt ob illam ſibi cuncta irrationalia parerent, & ob hanc ferociſſima quælibet coram eo manſueſcerent. Prodigia denique, quæ ante, & poſt obitum patrauit innumera, etiam complura primi ordinis. Quod igitur Angelus 4.Eſdr. ad Prophetam: *Hæc eſt vita, quam tu eligas, vt viuas*: c.7.59. hoc ego ad te vt hanc relegas, ſi eligere non vales; & haud dubiè meliùs valeas.

11. Nec aliud ſanè motiuum tot præclaros illexit Authores, vt eandem Serui Dei Vitam impigrè texuerint; quidàm excompoſitò, & quidam adiectiuè, ac incidentalitèr, aliud contexendo opus; quàm quod perinſignes virtutes ipſius, ingentibus prodigijs conteſtatæ, vnumquemque eorum, peculiari quadam ratione, ſuper ijs non tacendi commouerint. Vt

Torquemadam in eiuſdem Vita impreſſa Mexici Anno. 1602. Pa-

Patrem Dazzam par.4.Chron.Minor. lib.2.c.37.

Doctorem Bartholomæum Parexo Medicum, in Vita Serui Dei manuſcripta.

Patrem Arturum de Monaſterio, in Martyrologio Franciſcano.

Fœlicem Contilorum in Praxi de Canonizatione Sanctorum cap. 5. num. 12. pag. 48. impreſſa Lugdunij Anno 1634.

Rapinæum in Hiſtoria generali Originis Recollectorum par. 1. Introduct.§.4.

Patrem Didacum Lequila in Gerarchia Seraphica impreſſa Romæ Anno 1664.

Patrem Bartholomæum de Letona in Vita Serui Dei, paritèr manuſcripta in Italico, & à me ad verbum anno proximè elapſo in Latinum tranſacta, & nunc in hac potiſſimùm imitata; vtpotè viri in Sacra Theologia Lectoris Iubilati, & Diœceſis Angelopolitanæ, in qua Seruus Dei potiora ſuæ Sanctitatis experimenta reliquit, obijt, & prætioſum ſui Corporis pignus depoſuit, Examinatoris Synodalis: necnon ſuper cauſa Canonizationis illius Procuratoris Gener.

Patrem Didacum de Leyva in Vita Serui Dei, Hiſpali impreſſa Anno 1687.

Patrem Benedictum Mazzara, in Legendario Franciſcano, de Vitis Beatorum, & Seruorum Dei Ordinis S. Franciſci, ad diem 25. Februarij impreſſo Venetijs 1689.

Patrem Iſidorum à S.Michaële in Vita eiuſdem, Neapoli in lucem edita proximè prçterito anno 1695.

Et perinſignem Sac.Theologiæ Magiſtrum Patrem Paulum Marianum à S. Flora Ord.S.P. Auguſtini.

12. Inſuper Martyrol.Franciſcanum ad diem vigeſimam quintam Februarij ſub his formalibus verbis de

eo:

co: *In India Occidentali apud Ciuitatem Angelorum Beati Fratris Sebaſtiani de Apparitio Confeſſoris, qui & Virginitatem immaculatam cuſtodiuit, & meritis plenus, celebriſque miraculis, nunc vſque refulget.*

Super quod Martyrologium Pater Arturus editione impreſſa Pariſijs Anno 1638.§.6.ad diem 25.Februarij ſubdit, quod Seruus Dei ob inſignem famam Sanctitatis, velut per antonomaſiam, à vulgo *De Sancto Apparitio* nuncupetur.

13. Nec ſecùs quàm Sancti Apparitij vocabulo eum veneratur totus Mexiceus Orbis. Ex quo Archi-Præſul Mexicanus in Epiſtola ad Innocentium XI. illum Compendium omnium virtutum appellat;& ſuaviolentia Sanctitatis illius vniuerſum Nouæ-Hiſpaniæ regnum redolere conteſtatur. Capitulum verò Mexicanum ſeorsìm ad eundem Sanctiſſimum Pontificem perſcribens Serui Dei merita, ipſum virtutibus, quæ in ſuperexcellentem euehunt gradum præfulſiſſe, & totum Occiduum orbem, quampluris affluentia Sanctitatis irrigaſſe, rebuſque ab eo, ſupra humanum captum geſtis illuſtraſſe: nec non ob hoc omnium animos in ſui laudem, & venerationem prolectaſſe, inſtantiſſimè perhibet. Eodem prorsùs ſtylo Archiepiſcopus Compoſtellanus, Americæ Septentrionalis, in 14.
qua Seruus Dei tot virtutibus,& prodigijs coruſcauit, conterraneus, & Patriæ, ex qua oriundus eſt Metropolitanus, celebre ſuper eius ortu, vita, obitu, miraculis, fama, & percrebeſcentia Sanctitatis, contexuit encomium. Angelopolitanus quoque Antiſtes cum ſuo Capitulo. Ciuitas Angelopolitana, & Vniuerſitates; Status quoque, & Ordines cuncti. Rex Catholicus, & Reginæ, tùm Mater, cùm Regnans. Principes, reliquique Magnates. Quorum litteræ fidelitèr

ex-

extenduntur publica impreſſione ab Aduocatis Cauſæ Canonizationis Serui Dei.

15. Quibus præmiſſis, nè te demùm lateat conſtitutio Cauſæ eiuſdem Canonizationis Serui Dei, ſeriò aduertere oportet, quod declarare iudicio Eccleſiæ quempiam, eſtò ſanctiſſimæ vitæ, *Sanctum*, ſit opus cum primis arduiſſimum, & nonniſi præcipuo ſtudio, & ſuprema omnium cura perfectibile. Cum enim cuncta humana, ſuapte natura, caduca, volubilia, & inconſtantia ſint, ipſa quoque hominis adhuc mortalis ſanctitas, fluctibus mortalitatis ſubiacet, & ſola Dei eſſentialitèr indefectibilis eſt. Ea proptèr, vt puriſſimum veritatis de illa aurum educatur, ignibus probationum, quouis mundi lumine clariorum, pertractanda eſt. Et priuſquàm publico cultui ad Aras exponatur, talis prorsùs eſſe debet, qualem Sapientia Diuina, cuius Spiritu Dei Eccleſia regitur, fortitèr, ideſt, immutabilitèr, ſuauitèrque, non præcipitantèr ſcilicèt, ſed planè diſponens omnia eandem exigit, Eccleſ. cap. 27. dum inquit: *Homo Sanctus in ſapientia manet ſicut Sol.* Vbi Sapientiam Sancti, vitam ipſius Sanctam, quæ eſt cognitio veri operibus perfecta, ſubintelligo; vt ſenſus ſit: Sanctitas viri in Sereniſſimo Eccleſiæ Polo fulgere debet conſtantèr vt Sol.

16. Nec idcircò mireris tàm diſtrictum rigorem præcedere Canonizationem Sanctorum. In recipiendis (authoritate ordinaria) informationibus ſuper virtutibus, geſtis, & prodigijs eorum, atque conſtruendis deſupèr Proceſſibus. In horum examine per Sacram Rituum Congregationem, ſi locus ſit Introductioni Cauſæ. In expediendis litteris Remiſſorialibus, & Compulſorialibus ad confectionem Proceſſuum, authoritate Apoſtolica, ſuper perſeuerantia famæ Sancti-

tita-

ritatis eorumdem, & percrebeſcentia prodigiorum, ad interceſſionem eorum patratorum: necnon ſuper heroicitate virtutum, quibus affluxerunt, & affulſerunt. In horum quoque Proceſſuum præſentatione, & deſuper obtinenda Commiſſione Reaſſumptionis Cauſę. In expediendis paritèr litteris pro conficiendo Proceſſu ſuper non exhibito cultu canonizando, & Paritione Decretis ad id à S Sede editis. In condendo Proceſſu particulari ſuper fama Sanctitatis canonizandi in genere, vt Sacræ Congregationi conſtet, eam perduraſſe conſtantèr, & percrebuiſſe vſque ad præſens tempus. In obtinenda approbatione validitatis, ac Releuantiæ ſimùl, dictorum Proceſſuum de Non-cultu, & de Fama; atque ſeorsìm approbatione validitatis prætactorum Proceſſuum, tàm Apoſtolica, quàm Ordinaria authoritate confectorum; & vt procedi poſſit ad diſcuſſionem eorundem Releuantię in duas partes diuiſſæ: prima de Virtutibus in ſpecie (qua in pręſenti verſamur) ſecunda de Miraculis, reliquiſquè circa hæc ritè peragendis. Quæ cuncta, præter quinquaginta annos, ex conſtitutionibus Apoſtolicis ab obitu canonizandi requiſitos, ſiquidem longum tempus exigant, vt abſoluantur.

17. Minùs multò admirari poteris, ſi pereximia Santitas noſtri prodigioſiſſimi Apparitij, quantauis heroicitate virtutum, & prodigiorum affluat, & Mexiceo Orbi tanquam Sol in Sapientia ſua effulgeat in Sereniſſimo tamen Dei Eccleſiæ Polo, & in Aris, eius hactenùs collocari nequiuit; quod cum cæteris ſuis in Empyreo conciuibus, quos iam hic publicis obſequijs percolimus, trutinam huius Supremi Iudicij, cuius ſolius eſt de vera Sanctitate ferre Sententiam, & rigores prælibatorum Proceſſum ineuitabilitèr (nil penitùs

d tùs

tùs obſtante diſtantia, extremitate terræ dimenſa)
ſubire debuerit, cum reliquis omnibus, quæ Sacroſancta Sedes Apoſtolica, ad eiuſmodi effectum præordinauit obſeruanda.

18. Cæterùm nec quod tàm diſtricta Iudicij lance, tamquè accutatè, & tutò Sancta Sedes in eo proceſſerit, vt aſſolet cum omnibus, Canonizatio noſtri Inclyti Apparitij hucuſque protolli debuit, quàm quod diutiùs Procurator eius apud hanc Almam Curiam defuerit; quodque eo etiam interdùm exiſtente, per difficilè fuerit, ab extremis pœnè terræ partibus, quælibet ad vnguem requiſita, quamquàm nulla defuerint, breui temporis interuallo comparare. Siquidem verò cauſa hæc Canonizationis ſuæ, opera R.P. Ioannis Fernandez Zejudo, eiuſdem Serui Dei Prouinciæ ſubiecti conſpicui, ſit iam in proxima diſpoſitione conſtituta, nil diffido, quia afflante ſupernè Altiſſimo, Apparitius noſter quantocitius in Dei Eccleſia appareſcat colendus in ſplendoribus Sanctorum. Tu interim hanc eius vitam confidentèr contrecta. Nec ſecùs quàm ſi de eo ad te illud fatum fuiſſet: *Cum operario agrario de omni opere tracta.* Eccl.c.37. Et vale.

In

In Vitam Venerabilis Serui Dei Fr. Sebaſtiani de Appariçio Latino ſermone conſcriptam ab Illmo & Reu.^mo Dño Fratre Nicolao Plumbenſi, Diacovenſi, & Boſnenſi Epiſcopo ex Ordine Minorum aſſumpto.

EPIGRAMMA.

Magnus Alexander felicem dixit Achillem
Quod ſit virtutum præconem nactus Homerum
Quid de Appariçio dices, virtute coruſco?
O bone lector, eum dum pingit florida pluma
Præſulis illuſtris, peperit quem ſacra Minorum
Relligio, parili Vitæ pietate potentem
Græcus Homerus erat, Græcus fuit aſper Achilles
Quid patriæ celebraſſe ſuæ memorabile honorem eſt?
Gudinæ Eois Aparicius ortus in oris
Franciſci pia planta ſui, quem nobilis hortus,
Olim Sylua, tulit Boreali lata ſub axe
Phœbus vbi natus, præclarus Præſul & ortus
Hunc celebrat calamo, latio ſermone venuſto,
O rerum rara effigies, & magna potentis
Dextera, ſic humilem decuit celebrare Valentem
Sancto opere, & ſermone virum, nempe itur ad aſtra
Sacros fando Viros, humiles imitando Minores.
Gaude Apparici Laicorum è plebe Minorum
(Si tamen in celſis hæc gaudia ſumere poſſis
Ille Voluptatum torrens vbi inebriat ingens)
Quod calamo tanti celebreris & ore Magiſtri
Quem ſacer ornat apex Mitræ, qui paſtor ouilis

Vir bonitate pius, Virtutum laude decorus
En Euangelij textum qui fallere neſcit
Se quicumque humilem facit, exaltabitur ille
Pauper, inops humilis Aparicius altior aſtris
Nunc exaltatur celſus cæloque ſoloque
Mitra, Tiara, pedum tibi ſe ſubmittere geſtit
Et laudes celebrare tuas, flos nobilis ortus
Heſperia tellure, decus geniale Minorum
Dum te collaudat Præſul Virtutibus auctus
Seſe commendat celebrem, & dignum ire per aſtra.

Ita ſenſit, & cecinit in Muſæo Iſidorenſi hac die 28. Septembris 1696.

Fr. Patricius Duffius Lector bis Iubilatus, & Ordinis Minorum Generalis Chronologus.

Illu-

Illuſtriſſimus Dominus D. Nicolaus Plumbenſis.
Anagramate expreſſus
Num ſuſpicis ad lumen Solis bis mundo illuſtris.
Carmen Anagramatis interpres.

Quid modo conſpicio? Cæli conuexa micantis
Et ſolidos novus ordo polos mutavit: en! ortus
Tranſit in occaſum, rutilans dum Phœbus ab oris
Alter ab Heſperis oritur, quo vindice cuncta
Nubila diffugiunt; tantus reſplendet in ore
Cœleſti virtutis honos, vt amore calentes
Cogat in Eòò meritorumpromere laudes.
Huc ſubis intrepidas acies, & lumina ſiſtis
Altivolans ceu ſolis ales, digniſſime præſul
Et pater, & rector Boſnæ, ſacrata capillos
Infula cui emeritos cingit, Demoſthene diues.
Non declive tenens volucri ſublimia curſu
Regna petis; miranda videns, Babylona Coloſſon
Non modo Pyramides memoras; ſed geſta Sebaſtis
Romulei ſiſtis deſcribere more parentis.
Inſigni complexa ſtilo miracula mundo
Decantas, ſolemque *novo fulgore micantem*
Suſpicis illuſtris; *non quem Caledia ſtrictis*
Edidit ardentem gladijs, ſed flaminis ales
Ætherei Angelico, veſtit cui tempora nimbo.
Purpureis invecta rotis Aurora coruſcans
Quàque ſuum ſpargit lumen, *tibi fama triumphos*
Prompta tubis reſonare parat, latèque per orbem
Diſperſis hinc inde comis devincit honores.
Huic modo Threicij cedat facundia vatis
Preſtanti virtute viro, Marpeſia corda
Dum retrahit magnete ſuo; cui copia fandi
Biſque *quaterque potens, Magni Salamonis adinſtar.*

En

En bonus, & fœlix, decus immortale Minorum
Antiſtes, tua penna volat, quocunque micantes
Æthereo ſplendore ſuos, ſol ille Sebaſtes
Spargit ab occiduo radios; te ſplendida lymphis
Auriferis Lybie recolit, præconia vterque
Indus, & Antipodæ fundunt; tuus ecce per omne
Semper honos, calamique decus memorabitur, æuum.

F. Petrus Iunius Franciſcanus Hibernus.

Uen. Magnoque Dei Seruo Fr. Sebaſtiano de Apparicio Procurator Cauſæ ſuæ Canonizationis deuotus offert

EPIGRAMMATA

Alludentia in quędam geſta, ac Miracula eiuſdem V.S.D.

EPIGR. I.

Ven. Dei Seruus ſub aëre Tempeſtatibus amicto ſecurus: Tundenſque Saxo ſemper ſuum pectus.

Imbres cur nivei, pluviæ, vel grando Sebaſtin
Sub cœlo irato non tetigere petis?
Pectora miraris cur tundit neſcia culpæ
Perdius, & pernox? Cauſa vtriuſque patet:
Diuini accenſas ignis ſub pectore flammas,
Quas nequeat glacies, nix vè domare tenet.
Quos alij in mentem culpis traxere reatus
Vt luat, is ſaxo pectora Sancta petit.

II.

Feræ cunctæ nutui Sancti Viri obediunt.

Inſonti magnus confertur clavus Adamo,
Quem norunt Dominum cuncta animanta ſuum;
Demitur àt ſonti ditio prægrandis eidem
Indigno lapſum calce iumenta petunt.

Col-

Colla Apparitius retinens ſubmiſſa ferarum
Dic modò ſi lapſum paſſus, Adame tuum?
Translatum nouit clavumpecus ipſa, Sebaſtes
Faſces (quos nocuus perdit Adamus) habet.

III.

Mulier quædam indignè ferens ſuum Scyphum ſitienti Ven. Apparitio eſſe porrectum, fictilem fregit; pars autem illa, quæ labia Sancti Viri tetigit florem edidit candidiſſimum.

Ignea iam Sanctum rabido ſitis vrget in æſtu,
Donaque languenti iam negat vda Thetis.
Quod tangant illi, frangis tua pocula, labra,
Cur mulier, melior cui fuit ore charis?
Aſpice: vas tenero fit vernans flore roſetum,
Prodigium (ætates quod venerentur) habens.
Nec miror Sacros fundant ea pocula flores,
Queis, Charitum, ſors eſt, os tetigiſſe ferax.

IV.

Ven. Apparitius ſitiens Vaſculum vino quaſi ab ipſo creato miraculosè impleuit.

Nil fieri ex nihilo, non poſſe creare creatum.
Ille ſtagyreæ tradit Apollo ſcholæ;
Falſa Apparitius monſtrat tua dogmata Graie
Ex nihilo purum fecerat ipſe merum.

Ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum Diacovenſem, ſeu Boſnenſem Epiſcopum, magni, celeberrimique Opuſculi Vitæ Ven. Apparitij Authorem.

TETRASTICON.

Digna Cedris pietas, æternis digna triumphis
In te reſplendens, Inclite Præſul, *ouat*
Cumque Dei famulum toti deſcripſeris Orbi,
Te ſuperos inter gloria ſumma manet.

19. SANCTÆ Memoriæ Vrbani Papæ VIII. Decretis parendo, ingenuè proteſtor, nil aliud me, in huiuſcè Opellæ Scripto, ac quouis eius dicto, intendere, aut prætendere, quàm iuxta eorundem Sac. Decretorum ſenſum, vt Fidem dumtaxàt humanam, quam reliqui Authores, in eiuſmodi Seruorum Dei Vitis promerentur, apud lectores ſortiantur, non obſtante quacumque eorum, etſi longiſſimi temporis effluxu comprobata, certitudine, & perinſigni authoritate Scriptorum, à quibus ea deſumpſi. Quod ſic reproteſtans ſeriò, ſubſcribo.

Fr. Nicolaus Plumbenſis, Diacouenſis, ſeu Boſnenſis Epiſcopus.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Sac. Apoſt. Palatij Magiſtro.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Ioſeph Maria Berti Reuerendiſs. P. Fr. Paulini Bernardinij Sac. Apoſt. Pal. Mag. Soc. Ord. Præd.

VI-

VITÆ,

VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM VENERABILIS SERVI DEI FR. SEBASTIANI AB APPARITIO.

PROLOQVIVM.

20. TVRGET humilitatis Seraphicę fœcundiſſima Arbor ſanctitatis fructibus, & Virtutum odoribus redolet, quaquauersùm per orbem; ac veluti lignum Vitæ in medio Paradiſi, Eccleſiæ nempè Dei, ad viuificandum dumtaxàt plantata (*Fructus enim iuſti lignum Vitæ*) viret perenni omnigenarum virtutum referta virore: in quamlibet partem, & orbis oram protendens vmbri- Prouer. cap. 11.

briferos ramos ſuos, vt vbilibèt imbecillitati humanæ impertiat protectionis ab alto ſuffragia, & immortalitatis alimoniam; ſalutari ſcilicet Doctrina, innocentia vitæ, & Apoſtolica ſua Charitate, hùnc è lateribus incredulitatis, ceù ex tetro fuliginum antro ad inconcuſſæ Fidei lumen; & illum è cœno lubricitatis, vt exanime cadauer, ad integritatem reſuſcitando; alium è ſomnolenta omnis boni deſidia, quaſi ex quodam putredinis feretro, ad veram piorum operum ſolicitudinem; & alium è colluuie vitiorum tanquam ex abyſſo multa, ad lauacrum pœnitudinis, excitando: prouti, & quemlibet pereuntem, & perditum, ad viam ſalutis reducendo.

21. Quos ex Seraphico partu Sanctitatis fructus, quamquàm aſſiduè lætabunda, & laudans colligat Sacroſancta Mater Eccleſia, peculiari tamen iubilo, & plauſu ſingulari, eos legere conſueuit, & recolere, quos primitiarum loco, & ex regionibus longinquis, ac præcipuè Catholica Religione necdùm plenè excultis, velut ex ſterili ſolo, aut ſylueſcente agro exortos, ſibi conſciſcit. Vt proindè, & Sanctitatis Ven. Serui Dei, Noſtri Fratris Sebaſtiani Apparitij, Mexicanæ regionis Primitiarum Sanctimoniæ, & Religionis Seraphicæ in eadem nouellæ plantationis, ratio non mediocris haberi, ſuæque Canonizationis

cau-

cauſa haud quaquàm negligi debeat, verùm toti Indiarum auro, gemmiſque præferri. Etenim

Cur tàm ſacra fames auri, cum ſacrior iſte,
Quem Sanctum celebris Mexica fama canit:
Morſquè, error, Dæmon, procul, & mala cuncta faceſſunt,
Et iunctum Diuis, inclyta ſigna probant.

22. Quibus mox expreſſiùs recenſendis, ſic iurè præluſum, vt reuera quouis Noui Orbis theſauro prætioſior ipſi debeat eſſe cura ſerijoris, & ſanctioris cultus, potiſſimùm Canonizationis, glorioſi huius ſui Primitiantis Patroni. Sub cuius fœlici magiſterio is virtutibus, nedùm moralibus, verùmet Mechanicis, ac œconomicis imbutus, primordia ſua, velut quiſpiam inertem, rudemque infantiam, in perfectionis ſtatum, adeò proſpere prouexit, vt iam Religione, pietate, moribus, & opibus, non orbis nouus, at pars ſeneſcentis huius noſtri, vel ab eo nullo eorum diſpar, eſſe videatur. Et ob id de ſuo Apparitio poſſit, quod Tobias de ſuo Raphaële meritò profiteri *Per eum bonis omnibus repletus ſum.* Vel cum Sapiente - *Venerunt mihi omnia bona cum illo, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Quod quàm veridicè, & qua ille ſorte ex Hiſpania eò migrauerit, ibidemque tàm prodigioſus apparuerit, ſequentia Capitula docebunt.

Tobiæ, cap. 12.

Sapientiæ c. 6.

CAPVT I.

De eius ortu, & prodigioſa educatione; deque primarijs mirificis in Hiſpania progreſſibus.

23. INITIA ſignata rerum, motuumque ſublunarium, ſunt congenita indicia euenturorum ex eis ſignorum. Quiddam namque intrinſecum continent rerum ſuarum; vnde & dicitur,

Dimidium facti qui benè cœpit habet.

Et ſucceſſus earum ſortiuntur conformes ſibi. Quod præ cæteris, ipſi nobis dies noſtri innuunt, ſua claritate matutina diurnam claritatem, & varietatem varietate indicantes. Potiſſimùm verò id experimur infantijs, atque natalibus hominum, quæ ſignis affecta inſolitis, portendunt molimina eorum futura ſtupenda, & vitam memorabilem.

24. Quod ipſum planè præſignabat ipſe dies natalis, infantiaque Ven. Serui Dei Fratris Sebaſtiani Apparitij, nati ſub Sacris Diui Sebaſtiani Martyris Eccleſiæ Sanctæ contra luem conta-

gio-

gioſam inſignis Aduocati, auſpicijs, proximè imminente eius die Feſto vigeſima Ianuarij Anni à partu Virgineo Milleſimi Quingenteſimi Secundi, Gudinę, in loco quaſi centum quinquaginta agricolarum indigenarum, in Nobiliſſimo Gallęciæ Regno ſub Diœceſi Aurixienſi, diſtante à Monterey erga Caſtelliam ſex circitèr leucis, à parentibus, Ioanne de Apparitio, & Tereſia de Prado, nedùm auito Catholico ſanguine, verùmet ſanctiſſimis, innocuiſque moribus claris; quibus & ipſum ad annum Vigeſimum vſque, & duas Sorores eius exactè inſtituerunt.

25. Equidèm iam fermè ſexennis incrudeſcente generali epidemia, peſtiferum lethalem in inguine ſubijt anthracem, ſeu bubonem, ob quem conſueto iuſtitiæ rigore, à populari conſortio excludi debuit, & per propriam genitricem, quamquàm infando maternorum viſcerum erga vnicum filium preſſam dolore, in ſolitudinem deſerti campi efferri, ibidemque in diruto quodam tuguriolo, velut expes ſalutis deſeri. Aſt quid officeret dirę mortis, & mortalis morbi vlcus ei, qui in ipſo ortu ſalutiferis Magni Sebaſtiani Martyris augurijs auſpicabatur Diuus alter Sebaſtianus futurus: quemque altitudo Sapientiæ Dei, infirma, & ignobilia, atque contemptibilia mundi eligentis, vt fortia quæque confundat, & ſuper-

perborum colla calcet, ſubdatque, rude, & informe tametſi inſtrumentum, iam ad ardua mirabilium, & miſerationum ſuarum præordinauerat, vt multos per eum lucrifaceret? Ea propter prædilecto Seruo ſuo in eadem ſolitudine abiecto, feram ſalubre ad obſequium deſtinat Lupam, quę ipſi medio noctis illabente, carbunculum illum præacutis dentibus ſuis, ſatiùs medendo, quàm mordendo, euulſit; & inſtar medici peritiſſimi, pharmacis reſciſſa illinientis, lingua ſenſím allambendo elinxit; quæuè tunc cæteris congenita ferocitate vitam eripuiſſet, illi miraculoſa mititate contulit.

26. Corporea ſic per celebrem infantem, ſuperno fultum præſidio, euitata peſte, & pueritia, ingenuà probitate, peculiaritèr autem in accurata, exactaque erga inclytos parentes obedientia, & reuerentia. domi emenſa, quibus ſat clarè pręſignabat, quis in ſeipſo erat, ad illud - *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſint opera eius*; Cum in vigeſimum adoleuiſſet annum, filiali potiùs affectu pijs parentibus ſubueniendi, quàm praua cupiditate lucrandi illectus, ad exteros labores paterna domo exceſſit; & Salmanticæ cuidam Viduæ, æquè formoſæ, ac nobili, diuiti que pro campeſtri œconomo deſeruiens, illam quoque carnis vnà, & ſpiritus peſtem, perrarò

Prouer. cap. 20.

pudi-

pudiciſſimi Ioſeph, Summi Patriarchæ Iacob natí, exemplo euicit, & euaſit: in eadem florída ætate, qua feruido ſanguine concaleſcit caro, & vrit, præcipuè ſi occaſio vrget, dominam, impudicè eum aggredientem, & domum eius pariter impolluto calle effugiens. Caſtimoniæ amore, immemor ſortis. Inæſtimabilis theſauri pudicítiæ zelo, & emeriti ſtipendij deſpector. Commoditatum diuitiarumque inde obuenientium inſignis aſpernator: nec ſegnis Diui Pauli, qui docuit *fugite fornicationem* auditor. Quo vnico, & infallibili fugæ, deuitandi tàm ſæuum, fœdumque contagium, remedio, apud petulantem heram necdùm exacto anno, ſaluauít animam ſuam; & primum laqueum dæmonis inuictus athleta contriuit, & liberatus eſt; indeque protinùs emigrauit Zafram, vbi ſpatio vnius anni ſeruitijs Dñi Petri de Figueroa ſe addixit. 1. ad Corint. cap. 6.

Dehinc nobilium famulatum exoſus, fortè quod non ignoto carmine monebatur,

Exeat ex aula, qui cupit eſſe pius.

& agriculturam, qua, vt aiunt, *nil meliùs, nil vberiùs, nilque hominem liberum dignius*, præferens, in loco Sanlucar de Barrameda, duobus agricultoribus operam dedit; in quorum poſſeſſionibus perſtitit octo annis, & laboribus quarumdam Vinearum præfuit; vndè, & emolumen- Cic. 1. Offic. 27.

tum

tum Sororibus ſuis ſuffragandi congruum, quo ſingularitèr fine à patria receſſerat, nactus eſt. Multò tamen opimius illud, poſſeſſores talium Vinearum indepti beneficio curæ, quàm ſuper eas ſumpſerat eorum Apparitius: conſimilem affluentiam fructuum ex ijſdem percipientes illi, quam quondàm famoſus Laban retulerat ab induſtria eximij Patriarchæ Iacob, ſuam pia fœcundantis Ouiariam panurgia. *Manus* equidem *fortium*, inquít Salomon, *parat Diuitias. Et benedictio Domini ſuper caput iuſti* reddit *opus iuſti ad vitam.* Vt nempè ſolertia ipſius, & arida vireſcant, & ſterilia fœcundentur, & exigua miris affluant incrementis. Vtiquè manus fortíum! Nam non ſolìus fortiſſimi Iacob. ſed & Apparitij, vt Cognomine perhibet, apparat diuitias. At quidnì manus fortium Apparitij? Qui cum Angeli ſtrenuo colluctatore Iacob Patriarcha, præuentus ſic benedictionibus Domini, parat heris diuitias, & cum caſtitudinis inelluctabili Heroe eiuſdem Filio Ioſeph, herarum molles, puritatis heroica obarmatus virtute, eludit inſidias. Vt hinc ſaltem Sanctitatem illius dignoſcamus, qui tàm ingentium Sanctorum virtutes in eo percolimus. In eadem quippè ſuorum patronorum domo, dum proſperrimè proprio agriculturæ incumbit officio, ab inuido, & liuido ſuarum virtutum

Parab. cap. 10.

hoſte,

hoſte, non iam ſimplici, vt quondàm, at bicipiti laſciuiæ telo ímpetitur: in eum duabus, non minùs forma venuſtis, quàm libidine effrænibus iuuenculis, ſtygio furore concitatis. Verùm vt verè aſſeritur -- *ex agricolis milites ſtrenuiſſimi gignuntur*: præclarus hic agricultor vtramque íllam ſpurcitiei hydram, potentiori, quàm herculea fugæ claua, Hercule ipſo, ſiquidèm nec hic contra duas, ſtrenuior, à ſe eliſit, excuſſitque. Cœlicola ſatiùs, quàm terræ agricola cenſendus. Sicque pergnarus, & nequaquàm ignauus propugnandi cœlibatus heros, gemina hac victoria adoleſcentiam ſuam generosè abſoluit. Et nè in veteri patria veteranus tàm altæ virtutis Coriphæus periculum deinceps amare arbitretur, procùl ex ea faceſſere decreuit: vti illicò, & faceſſit. Cato in p. æf.

CAPVT II.

De eius profectione ad Nouam-Hiſpaniam, & profectu, ac perfectione ſuorum exercitiorum in ea.

28. INEVNTE itaque iuuentute Apparitius ad *magnum iter occidui proficiſci cogitur Orbis*, gubernio Domini Sebaſtiani Ramirez Epiſcopi S. Dominici tunc moderatum, Claſſimque anni Milleſimi Quingenteſimi trigeſimi tertij illò conſcendens, appulit Pueblam Angelorum, ante tres annos erectam, & Epiſcopo Domino Fratre Iuliano Garzes, Cathedralem ſuam Tlaxcalæ habente decoratam: toto eo nauigij curſu, clarum innocentis ſuæ vitæ experimentum, nec mediocris modeſtiæ, humilitatiſque ſpecimen nauigantibus præbendo. Immediatè autem Pueblæ agriculturam reſumens, aruis excolendis animum intendit ad annum trigeſimum quintum vſque. Quo dimiſſa agricultura, proprium iuuentutis, opera, & labore rempu-

blicam

blicam iuuandi ſtudium inijt. Itaque ſua ingenioſa, & operoſa iuuenta, *hoc iuuenem egregium præſtanti munere donat*, vt communi non minùs vtilitati, quàm neceſſitati prouidens, nouum in nouo Orbe artificium plauſtra extruendi,& iuuencos ijs iungendos domandi introduceret: quibus ad opera iam adaptatis, publica ingenti commoditate, Hiſpanica mercimonia à Vera Cruce, ad Zacathecam,Pueblam, & Mexicum conuehebat: meritò adinuentionis tanti commodi gratia,nunquam obliteranda memoria celebrandus ab indigenis.

Queis neque mos, neque cultus erat; nec iungere tauros, Virg. 8. Aen.

Aut componere opes norant, aut parcere partis.

29. Compoſuit autem ille ſibi haccè ſubtili induſtria opes non exiguas, quibus, confeſtìm counitis pluribus eiuſmodi plauſtris, varias conſtituit vecturas, ſuamque extunc, anno videlicèt Milleſimo Quingenteſimo quadrageſimo ſecundo habitationem fixit Mexici ſenectam ingreſſus, vbi aſſiduo labore induſtrior effectus, aſpera, & ſcabrata, imperuiaque, ac toto priori æuo inuſitata, Mexico præcipuè Zacathecam, vbi ſunt inſigniores totius regni auri fodinæ, vſu curruli planas itinera, reddidit vſque ad hodiernam diem patentia cunctis commercia exercentibus. A quibus ſaltem, in præmium, inculto adhuc

Regno ſic impenſi beneficij, priſco cuiusque patriæ, ſuis publicarum vtilitatum authoribus, perennia laudum monimenta ſtatuentis móre, ipſi quoque iure optimo erígi deberent Aræ perpetui honoris, quibus conſuetum illud accineretur:

Semper honos, nomenquè tuum, laudésq; manebunt

30. Eò potiſſimùm quod actuoſa hæc ſua vita nõ vnica prælibata pudicitiæ virtute, ſed & patientiæ, humilitatis, modeſtiæ charitatiſque præcipuè, reliquarumque cunctarum, vt patebit, ornata, nullo quiuit momento ab opere virtuoſo cohiberi. Hinc maximè erga inopes amore, & honore propenſus, quotquot horum obuios habebat, gratiosè cunctos alimentis, & ſuccurſu liberaliſſimè confouebat, gratuitòque quò tendebant, ſuis curriculis conuehebat, non immemor Pſalmiſtæ canentis: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Vti & eum ſemper non modò liberauit
Pſal. 40
31. à ſylueſtribus, & profugis illis Indis, Chichimæcis nuncupatis, quos alij authores barbaros appellant, viarum expilatoribus, & viatorum quorumuis trucidatoribus, verùm & ipſius apud eoſdem reſpectum ſummum haberi iuſſit, vt amore ſui capti, obuiam illi ſæpiùs proſilirent, eidemque ablandirentur, ac munera, vt pauperies eorum ſufferebat præberent, cicures penès eum effecti. Copioſam demùm pecuniam ſuam prætactis

tactis induſtrijs itinerationibus accumulatam, in alia charitatis opera, vt in eliberandis carcere mancipatis, alendis viduis, & orphanis, dotandiſque innuptis egenis, præſertìm virtute aliqua præditis, vt connubijs honeſtis iungerentur, munifica manu profundere non deſtitit.

32. Anno deniquè Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo Secundo opus vecturæ deſeruit, & diuenditis bobus, ac curribus ſuis, pretio hinc deſumpto vnam Poſſeſſionem terrarum operabilium propé Mexicum inter Tlalnepantlam, & Azcaputzalcum coëmit: circa quam operosè, & fructuosè occupatus plus quam viginti annis, magnoperè capitale ſuum auxit. Quo etiam Poſſeſſionem aliam pecudum comparauit; & ambarum prouentibus opera charitatis, quibus iam aſueuerat, intentè proſecutus, ſubminiſtrabat adiumenta egentibus conuicinis agricultoribus pecuniam mutuando, nec eos importunè ad reſtitutionem, eſtò illiberales ad eam forent, adigendo. Generosè paritér dimittendo Viduis debita defunctorum maritorum, quinimò eaſdem ſuſtentando, filiaſque earum dotando. Et generalitèr quibuslibet, quorum conſcius fuiſſet, pauperibus, adeò beneficè ſubueniendo, eoſque amicè hoſpitio excipiendo, vt alter Sanctus Iſidorus, & Abraham per plateas Mexicanas conclamaretur. Ea propter; & quod nil vnquam

otioſum ex ore ſuo excidiſſet, nulloué defectu, aut noxa, vel leuitatis næuo annotatus fuiſſet: imò quod in his excedentes, tametſi minima oblocutione, aut offenſa Dei, Zelo Diuini honoris ſuccenſus, acerrimè ſemper reprehenderit, omnium in ſe, tanquàm in exemplar virtutum, oculos conuertit: authoritate, veneratione, reſpectu, & æſtimatione eovſque præpollens apud omnes, vt cuncta regionis illius litigia, & controuerſiæ, ad ipſum velut ad oraculum pacificationum, & pacificarum compoſitionum, referebantur. Tlalnepantlæ, duabus leucis Mexico diſtantis, tunc degebat, in Domo adhuc miraculosè ſubſiſtente.

33. Cunctis denique alijs virtutibus ſpectabilis apparuit ſæcularis adhuc exiſtens, & agricul-cultor Apparitius; quarum interiores, ſoli Deo manifeſtas, ſignantèr Amoris Diuini, atque contemplationis myſteriorum, præſentiæque Dei; ab exteriorum, vt orationis, humilitatis, patientiæ, cæterarumque feruore, conijcere licet; velut & hinc, quod quantumuis opulentus, & in alios beneficus, ac liberalis fuerit, ſibipſi tamen á laboribus quotidianis campeſtribus nunquam pepercerit: cubans nonniſi ſuper durum ſolum, ſubſtrata vili ſtorea, & paupere extenſa penula; ſæpiùs autem inſidens equo, & haſtili, quod iugitèr ſecum gerebat, innixus, ſomnum virtutis ho-

hoſtem eludebat: veſci ordinariè ſolitus placentis ex Indico confectis frumento, intincto piperi ti contrito, vulgaritèr Chile appellatis; & interdùm pro qualitate feſtorum modica bubula refectus. Eo victus genere iugis ipſe abſtinentia, mortificatio, & pœnitentia reputandus. Quid proindè mirum, ſi heroicè caſtus, charitatiuus, humilis, paupertatis tenaciſſimus, & cunctis reliquis Virtutibus coruſcus fuerit, qui tàm ſeuerè in ſeipſum erat abſtemius.

34. Stridente proculdubiò fremitu ringebat in eum, vniuerſis ſic fulgentem virtutibus cacodœmon: nec ſufferre vllatenùs poterat ſublimes profectus ſanctitatis illius. Idcircò non amplius tenuibus ſuggeſtionum ſtimulis, at deſperato certamine expugnare enititur Seruum Dei. Hinc viſibili ſpecie, & explicato toto robore tentationum, vti Chriſtum poſt Quadrageſimale ieiunium, ita hunc poſt quotidianum aggreſſus; nunc in figura Æthiopis ſua illi ſubſidia exhibentis, quę is protinùs reſpuit; nunc verò in forma furibundi tauri, necem impetuoſa irruitione comminantis; quem etiam nonnihil eluctatum, opitulante Domino, & interuenientibus præcibus Fratris Ioannis Baptiſtæ de Lagunas, cui media nocte in Eccleſia S. Franciſci de Tlalnepantla orationi inſiſtenti id reuelatum fuerat, à ſe retruſit; & nunc demùm in ſpecie venuſtæ mulieris, eundem

dem ad inquinamenti facinus blandimentis, atque aſſentatiunculis laceſſentis; à quo paritèr, iam dudùm artis illum in hoc ſubigendi peritus, triumphum victoriæ facilè reuexit.

CAPVT III.

De ſuo Coniugio, & ſucceſſibus quibuſdam.

35. HÎC iam ſtupori magis quàm ſermoni locus eſt, & ratio maior admirandi, quàm fandi de eo quod occurrit. Apparitius enim coniugia iterat, vt coniuges lucrifaciat Virgines. Quis autem audiuit quid tale, aut vidit quid huic ſimile? Coniugia ſiquidem ineant homines, non virginitatis, ſed fœcunditatis fine. Et quod in ſalutem mundi, Diuino propenſiori conſilio actum credimus, Immaculatam Dei Genitricem Semper Virginem Mariam Immaculato ſemper Virgini Sponſo Ioſepho coniugatam; quoniam vtraque hæc ad iura Diuina ſpectabat perſona, neceſsè fuit vtramque coniungi Virginem: non abſque ineffabili laude virginalis coniugij. Quod verò

ex perpaucis coniugibus Virginibus, Magnus Imperator S. Henricus Pius, & S. Eduardus Rex, Sanctuſque Elzearius Comes, ac B. Salomea Regina Polonæ cum ſuis Coniugibus, virginitatem adinuicem æmulantes, virginalem torum, teſtimonio Eccleſiæ, ſeruauerint illibatum, nemo eſt qui non attonitè obſtupeat. Cum nemo ſit qui hunc eorum cœlibatum coniugalem negare poſſet, inter cuncta ab hominibus peragibilia, eſſe quid heroiciſſimum. Virginitas quippè in ſe heroica virtus eſt. Nam teſte Ambroſio eſt virtus principalis, quæ Martyres efficit: nec humano comprehendenda ingenio, quam nec natura ſuis incluſit legibus: nec naturali complectenda voce, quæ ſupra vſum naturæ ſit. Heroicior deindè illa, quæ præſentior periculis ſuæ iacturæ. Et heroiciſſima, quæ ijſdem præſentiſſima; ùti dubio procùl eſt virginitas coniugalis; quæ indiuidua à labefactationis ſuæ periculis, eum clariſſimè repræſentat, qui in igne conſtitutus, vel ei intimè coniunctus, illæſus euadit. Quæ proindè non vnius diei, vel menſis, aut anni, ſed totius vitæ martyrium cenſetur; quo non modò caro, ſed creberrimè mens ipſa acerbitate tentationum adeò dirè torquetur, vt eas ſuperare pluris longè æſtimem, magiſque heroicum, quàm quemuis mundanum hoſtem in conflictu qualicucumque euincere. Cum enim voluntas

Lib. 1. de Virgin circa init.

noſtra, etsì regina in regno animæ, imperans cunctis potentijs eius prout libet, nata ſit, vt loquuntur Philoſophi, condelectari eis, itaut cui obiecto complacentèr, & oblectantèr illæ adhærent, ipſa quoque nata ſit eidem adhærere; in coniugio verò obiectum concupiſcibile naturalitèr, potentiæ concupiſcitiuæ ſemper eſt præſens, & illa vt potentia naturalis illud ſibi præſens, & conueniens, non poteſt non concupiſcere, præſertìm ſi formoſum eſt, vt plerùmque accidit; quinimò attenta circumſtantia appetibilitatis obiecti ſecundum pulchritudinem eius maiorem, cõcupiſcitiuam erga illud inardeſcere neceſſé eſt; conſequentèr & voluntatem concupiſcitiuæ, ob naturalem cum ea erga tale illius oblectatiuum obiectum connexionem, natam propensé condelectari, illamque in eo ſequi, ex natura ſua. Ideo retrahere voluntatem à tali obiecto, in quod ex natura ſua propendit, non ſolùm nimis difficilé, & laborioſum eſt, ſed etiam afflictiuum, & pœnale maximè. Cum tamen libera ſit, libertate, nedùm eſſentiali, qua, vt aiunt Scotiſtæ, cum plenitudine dominij ſuper ſuum actum, ad eum ſe ipſam determinat, licét neceſſariò; ſed etiam libertate contrarietatis, qua circa idem obiectum actus contrarios elicere poteſt, amorem ſcilicét, vel odium; ſeù circa contraria obiecta actus contrarios; & libertate contradictionis, qua circa idem

obie-

obiectum actibus contradictorijs exerceri poteſt, vt idem amare, vel non amare; ſequitur, vt ex motiuo alicuius virtutis, in poteſtate ſit voluntatis ita liberæ, retrahi à concupíſcitiua, & eius appetitu non ſequi obiectum illius, ſed ea ratione qua mouetur ab illa virtute, licèt id cum diſplicentia, & difficultate, ob naturalem connexionem cum concupiſcitiua. Hinc eſt, quod ex motiuo virtutis heroicæ virginitatis, vel quod multò maius eſt, ex amore Chriſti, vt obiecti immensè pulchrioris, ab amore carnali propriæ Coniugis, licèt non abſque difficultate, quis abſtrahi poſſit, & virgo cum ea permanere, gratia Dei imbecillitati illius ſuffragante. Quod luculentèr elucet in præclaro Inclytí Colomani Regis, prætactæ noſtræ Beatæ Salomeæ Reginæ virginalis Coniugis exemplo. Qui illius opera, & virtute, ad mutuam coniugalem virginitatem inductus voto obſeruandam, dum ſemel venatu redijſſet, eandemque in gynæcei cubiculo, extemporè ingreſſus, cunctis regalibus ornamentis excultam inſolitò reperijſſet, contemplata aliquantiſpèr eius venuſtate, nonnihil eo cultu adaucta, quamquàm nulla prorsùs vtrinque illicita imaginatio violationis voti præceſſiſſet, ex hoc tamen adeò erga eam cupidine exarſit, vt rationis impos, & voti facti immemor euadens, ſola gratia Dei, qua illuminari meruit, ſuccla-

Ex Guarnierio in vita B. Salomæ, cap. II. citante Vvadingum, & alios.

mauerit: *O bone Ieſu quanto propter te priuor hodie!*
36. & conuerſus ad Reginam ſubiunxerit: *hac vice Dei præuenti ope virginitatem non exuimus*: protinùſque cubiculo exceſſerit. Enqué quantus Heros, & quidem iam voto obſtrictus, quàm laborioſè, né in vnica exigui temporis coniugali confidentia ſuccubuiſſet, ſeipſum expediuerit! Qui in tot diſcriminibus vitæ, non modò dum compluries ex Regno à perfidis pelleretur, ſed & dùm ipſe ex noſtris Regnis Slauoniæ, & Boſnæ, variarum hæreſum perfidiam expuliſſet, eaque ab iјſdem penitùs expurgaſſet, cædi, flammæ, & cuilibet hoſtili furori glorioſè reſtitit; & denique aduerſus Schitas, Hungariam formidabili exercitu inuadentes; fortiſſimè dimicans, vitam ipſam profudit; nunc ad talem coniugis ſanctiſſimæ extemporalem in cultu relaxationem, confeſtim flacceſcit, & in tàm conſtanti ſeruandæ cum ea virginitatis propoſito relenteſcit: propemodùm caſurus, niſi Dominus, qui non derelinquit Sanctos ſuos, ſuppoſuiſſet manum ſuam. Né verò vile quid tibi prætexto diſcurſu ſubrepat ſuper ineffabili venuſtate illibatæ Deigenitricis Virginis, quà ſuo intemerato coniugi præſentiſſima, audi quid dixerim: *Quoniam vtraque hac ad iura Diuina ſpectabat perſona, neceſſe fuit vtramque coniungi Virginem.* Ius quippe Diuinum eſt, de Virgine Deum hominem naſci, & á Virginibus educari,

Ex eodem ibidem cap. 15.

Psal 36

con-

contrectari,&c. Ob hoc cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, & iubilant omnes Filij Dei, ſolus Dominus, qui de ea natus eſt, concupiſcere potuit; cæteri, ornatam monillibus, ideſt, virtutibus cunctis incompræhenſibilitèr, pulchritudinem illius inæſtimabilem ſolummodò admirari & collaudare: Mariæ priuilegio, vt ait Bernardus, non dando alteri; ſingulari, ſed continuò etiam indicibili. Serm. 4 de Aſſump.

37. Quocircà ſtupendæ huic magis quàm effandæ virtuti, coniugali nempè virginitati, non ineptè alludi poſſet Diuino illo Oraculo: *Quis eſt iſte liber repudij*? Quo ſcilicèt coniux coniugem intactam dimittit, à ſe non dimiſſam. Vt tàm inuſitata vita cœlis ipſis admirationi eſſe poſſit, quæ in terris prodigium humanæ vitæ potiùs quàm humana vita nuncupari debet. Supponit enim eiuſmodi Coniuges præmunitos heroicè cunctis alijs virtutibus. Neque etenim tam altæ vitæ, quæ in carne Angelica cenſetur, rationem inſtituere valerent, niſi prius exercitati in omnibus operibus bonis cuiuſcumque virtutis, præcipuè Charitatis, Fortitudinis, & Temperantię. Namque Angelica vita Angelicas virtutes præſupponit, & operibus vndequaque perfectis exercetur. Vtque nemo prudens ad ardua, & ſublimia molimina, ſua ſtudia confert, quin prius viribus quibuslibet, ad illa faciliùs, perfectiùſque aſſequenda, Iſaiæ cap. 50.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

da, ſeipſum præmunierit; ſic prorsùs, & multò ſagaciùs, eligentibus cœlibatum coniugalem, vitam haud dubiè ſublimem, & arduam, cunctis antecedentér virtutibus ſolidé vallari neceſsé eſt. Nec ſecùs, vt ait Propheta, *Habitabit iuuenis cum virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſa*, Angelica virginitatis virtute fulgente.

Iſaiæ 62.

38. Siquè ſimplex virginum Coniugium tantæ virtutis cenſendum, vt merito eius, omnis laus inferior ſit; iurèque cœleſtis ſponſa de eiuſmodi ſuo, cœlo, terraque glorioſo ſponſo accinat, *dilectus meus candidus, & rubicundus*, Virgo nimirum, & Martyr ſimul; quid fatendum de geminato coníugio cum virginibus Apparitij? potiſſimùm cum virtute ipſius vtraque coniux virginitatem ad eius amuſsìm obſeruare conſenſerit. Progrediente namque ſua egregia ſenecta anno quinquageſimo quinto ætatis, & ſtabilita propria habitatione Azcaputzalci, quidam nobilis Mexiceus, vt fíliam ſuam, virtute, & venuſtate ornatam, necnon & dote competentèr prouiſam, ei matrimonio iungeret, non modícum adlaborauit. Nil autem iuuante, ſiue iuuenculæ eleganti forma, & virtute; ſiue parentis eius tali incumbentia, vt illum ad hoc induceret, quadam ſubtili ſagacitate huius, plurimùm obſtringente conuictus, conſenſum præbuit, vt eam duceret: vir aliàs ad quodlibet honeſtum de facili

Cantic. 5.

exo-

exorabilis in toto regno reputatus. Nè tamen theſaurum virginitatis, cuius tenaciſſimus erat, vlla mundi ſagacitate ſibi depredari pateretur, ſubtilis, & ille tunc extemplò effectus, petijt à parente, quid illi cum puella in dotem eſſet daturus. Sexcentos nummos de octo, reſpondít puellæ genitor: ni terras quaſdam campeſtres, & penès eas nonnulla habitacula ſibi deligeret. Ad quæ Apparitius, vt ſe generosè expediret, protinùs hæc ſubiunxit. Terris eiuſmodi affluo, & huic Dominæ, quam mihi deſpondetis, eam ſexcentorum nummorum de octo pecuniam, illicò pendendam, ego gratiosè offero pro ſandalijs. Quali munificentiæ ſplendore contentatis, & parentum, & ſpectabilis virgunculæ animis, incunctantèr receſſit.

39. Verùm quia generoſitas hæc ſua alijs exemplum ſuppeditauerat, conſimili induſtria proprias illi coniungendi gnatas, vel ſcilicèt talis lucri, vel opulentæ hæreditatis amore, cum iam prouectioris eſſet ætatis; idcircò, & ipſe induſtrior cum eis eſſe decreuit. Quamobrem dum circa annum ſexageſimum ætatis habitaſſet Chapultepeci, quod eſt nemus quodam, ferè media leuca Mexico diſtans, importunitate magís parentum cuiuſdam, virtuoſæ quidem, ſed inopis puellæ adactus, quàm propria voluntate, & non niſi ſuperno ad coniugalem virginitatem

ani-

animante ſpiritu, eã ſibideſponſauit, duobus millibus nummorũ de octo prius dotatam. Cui tamen ipſo ſuæ deſponſationis die tàm dulci, & blando, nec minùs eloquenti, ac erudito ſciuit eloquio commendare Angelicam virtutem virginitatis, vt vim, efficaciamque in eo dicendi, vti & exemplum pauciſſimorum ex omnibus Coniugum Virginum ſuperiùs fatorum, SS. Henrici, Eduardi, Elzearij, ac Salomeæ vſurpaſſe, ſit dicendus omninò: ipſamque Sponſam, Diuina opitulante gratia, & propria cooperante prudentia, nec ſecùs permittente ſua veneranda canitie, ſicut illi ſuas, ad virginitatem mutuò obſeruandam, non difficultèr flexerit; pauló autem poſt annum defunctæ, iuſta perſoluit in Eccleſia Sancti Franciſci de Tlacopam, vna leuca procul Mexico. Cuius genitoribus, vt prætactum eſt indigentibus, illa duo millia nummorum de octo, quibus eam do-
Prouer. cap. 27. tauerat, dono miſit. Sicque Apparitius edoctus cœleſte illud. *Cor rectum inquirit ſcientiam*: in theſauro ſuæ virginitatis lucrum quærentes, lucrari optimè ſciuit ad æternam gloriam.

40. Eademque cœleſti ſcientia, recto corde ad ſalutem proximi nacta, ſubeundo annum ætatis ſexageſimum tertium, poſtquàm redijſſet Azcaputzalcum, deſponſat Mariam Eſtcuan puellam nobilitate, & virtute conſpicuam. Cum qua pariter eiuſdem continentiæ propoſito, quo

cum

cum prima, eademque prorsùs circumſpectione annum tranſigens: vita Coniugali in quolibet actu exteriori conuiuendo abſque ſimulatione; & velut illam, ita & hanc, tùm requiſitis ad lectum, cùm ad menſam, optimè tranctando, dùm ille ſuo conſueto, & cibo, & duro ſolo pro lecto contentaretur; nihilominùs Diuina ſic diſponente prouidentia, Virginem & ipſam parentat, iuſtiſque celebrat apud S. Dominicum Azcaputzalci. Submiſſis & huius parentibus duobus millibus nummorum de octo, quibus eam, vt primam dotauerat: necnon & cunctis gemmis, alijſque ſuis ornamentis.

41. Quibus, tanquam publica voce, & communi fama, atque informationibus Apoſtolicis, paritèrque depoſitionibus plurimorum teſtium, conteſtatis, plenariè conſtat, hunc Seruum Dei in ſuis connubijs, totaque vita ſua virginem vixiſſe, & obijſſe: zelo dumtaxàt & amore tantæ virtutis, in Chriſto, & ſuis, diuinè fulgentis. Quam eatenùs quoad potuit, in ſe, & in alijs totis enixibus promouit, cupiens cum Apoſtolo omnes eſſe vt ſeipſum. Inuictus quippè propugnator castimoniæ in adoleſcentia, in perfectione viarum ſuarum grandæuior effectus, congeminabit trophæa illius, iuxta Sapientis adagium, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.*

1. Corinth. cap. 7.

Prouer. cap. 22.

D Cum-

Ibidem cap. 27. 42. Cumque reuerà: *Cor rectum inquirit ſcientiam*: perperàm ſuſpicati fuere quidam, Seruum Dei culpabilem extitiſſe, quòd à toro, & actibus coniugabibus cum ijſdem ſuis coniugibus abſtinuerit. Equidem ſi & ipſi corde recto perquiſiuiſſent ſcientiam, in rectiſſimo corde Apparitij non inueniſſent quàm magnæ ſanctitatis ſcientiam. Quaſi verò Apparitius in coniugio adeò ad actus matrimoniales arctatus fuiſſet, vt Virginitati, ſi eius poſſibilitas afforet, exilium dicere debuiſſet? & in corde recto nõ potuiſſet à ſuis coniugibus exquiſiuiſſe conſenſum virginitatis? vel in ſtatu perfecto nequiuiſſet æmulari perfectiorem? Eò potiſſimùm, quod propoſitum virginitatis ſuæ, non modò coniuges ipſius, ſed nec parentes earum, nec totum regnum latuerit, vt de coniugali fraude ipſi iam coniunctæ conqueri vllatenùs poſſent. Verùmtamen quis ſuper eo damnaret prælibatos Sanctos coniuges virgines? Vt Apparitij virtutem hanc eorum, non ſolùm imitantis, ſed & corde verè recto iterantis ſanctitati derogare auderet?

CA-

CAPVT IV.

De ſua vocatione ad Religionem.

43. VNICVM fortè ad Euange-
licam perfectionem, ob
terrenorum curam lucro-
rum, defuerat ſanctiſſimæ
aliàs Apparitij vitæ. Et
iſtud tamen virtutis affe-
ctu, pietatiſque propoſito, quibus erga proxi-
mum zelantèr angebatur, integerrimè comple-
bat. Non enim iuſto terrenorum cenſu, ſed pra-
uo eorum affectu à perfectionis ſemita retrahi-
mur. Itaque nil ambigo, quin à quo omne da-
tum optimum, & omne donum perfectum eſt,
crebriùs illi ingereretur ab eo cœleſte illud ad
omnimodam perfectionem vitæ monitum: *Eli-* 4.Eſdr. cap.7.
ge tibi Vitam, vt viuas; & ipſe candida mente
identidèm ruminaſſet, vt opere perficeret Euan- Matth.
gelicum illud, *Si vis perfectus eſſe, vade, ven-* cap.19.
de quæ habes, & da pauperibus, quà talem vitam
ſeriò electurus. Nam hoc ipſum, & Seraphico
Patri Franciſco in ſua conuerſione, & quorum- Pſalm.
dam ſuorum, prima apertione Miſſalis diuinitùs 31. &
fuit obiectum. Supplicandum igitur cenſuit à 40.
Domino, vt intellectum illi daret, & inſtrueret

eum in via hac quà graderetur. Et Dominus quid aliud, quàm ſeruo fideli, & prudenti opem ferret? Non ſecùs autem quàm ſuper lectum doloris eius, vti & cunctis alijs charis ſibi, peculiaritèr ipſi Seraphico Parenti Franciſco, verſans prius ſtratum eorum in infirmitate, vt poſtea ſirmaret meritorum ſublimitate: proſternens, vt eleuaret: premens cum diligeret. Nam infallibile eſt: *Qui diligit filium, aſſiduat illi flagella.* Hinc Anno Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo ſecundo, ætatis ſuæ Septuageſimo lethali morbo corripitur, & à Medicis expeditur. Lectulus tamen hic ſuus floridus fuit, gymnaſium Sapientiæ, myrothecium virtutum, Officina reperiundę euāgelicę margaritę; vel certocertiùs ſacer ille ager, in quo theſaurus inęſtimabilis cœleſtium deſideriorum effoditur, & diſciplina ſtudij cęleſtis comparatur. In hoc ipſe perfectè eruditus quid ſit illud: *Vade, Vende quæ habes, & da pauperibus*. Vade: exi ab hoc mundo, tàm affectu, quàm poſſeſſu. Vende: abnega, ſepara, & proijce abs te; daque, quibus dandum eſt, pauperibus. Et ijs relictis, expeditè ſequere Chriſtum, vt ſis perfectus. Sic ad mentem S.P. Franciſci, repellentis à Religione quemdam, ſua, non pauperibus, ſed propinquis relinquentem, id explanat Sanctus Bonauent. Quod diſciplinæ cœleſtis, & euangelicæ perfectionis, acutum quidem, ſed efficax acròa-

Eccleſ. cap. 30.

In vita S. Franciſc. c. 7.

ma

ma, actutùm ille executus. Nam vix ex ſchola fœlicis ſui lectuli dimiſſus, mundo penitùs valedicit, & ſolemni renuntiatione vtramque ſuam Poſſeſſionem, valoris octodecim millium ſcutorum inopi Sanctæ Claræ Sanctimonialium Mexicano Cœnobio, die vigeſima Decembris Anni Milleſimi Quingenteſimi Septuageſimi tertij donat: iuxta illud: *Oblatio iuſti impinguat Altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu Altiſſimi.* Et pręterea ad ſeruitia eiuſdem Cœnobij ſeipſum dedicat, ſub habitu Tertiarij, aliàs Donati, tàm ipſis Sanctimonialibus, quàm templi earum Sacrario admirãda promptitudine, ſinceritate, & exẽplaritate miniſtrans. Ob quod ſublime opus, omnis boni hoſtis eum pluriès, etiam in forma viſibili circumuaſit, vt tanquam leo rugiens deuoraret. Et quem primitùs ab exercitio virtutum nullis oblectamentis retrahere valuit, nunc à tàm ſolido Euangelicæ perfectionis propoſito, horridis quibuſuis territamentis retrudere ſategit; ſpecificè autem à tàm exacta abnegatione ſæculi; vel ſaltem à perſeuerantia in ea; vel ad minimùm ab intenſiori profectu in illa. Conſtans tamen animus Apparitij inſenſum moleſtatorem deluſit in eo omni. Eccleſ. cap. 35.

44. Sub hoc, Spiritu Domini, cui fidelitèr famulabatur afflatus, habitũ Seraphici Patris Noſtri Franciſci induere ſolemnitèr decreuit. Quo in

Lai-

Laicali ſtatu aſſumpto in Conuentu Mexicano die nona Iunij Anni Milleſimi Quingenteſimi ſeptuageſimi tertij : ætate quidem prægrauante , ſed vegeta , ac viuaci, & ad quælibet religioſa munia fortitèr obeunda perhabili ; nil fuit, quod minùs cæteris Nouitijs, quindecim, aut viginti annorum , ſolertèr anno ſuæ probationis peregiſſet: Non abſque ſummo totius illius prægrandis Communitatis ſtupore, & deuotione. Nec hìc tamen immunis fuit ab immanis humanæ ſalutis inſidiatoris tentàtione. Quinimò hoc in anno, Eccleſ. cap. 2. vt dictum eſt: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Atrocioribus eiuſmodi tentationibus exagitatus fuit, vt vix dies abfuerit, quìn cum eo viſibilitèr conflixiſſet: nunc tanquam cum in ſe impetùosè irruente: nunc cum ſibi veſtem eripiente, ſtrepitum excitante, & horrorem incutiente, modiſque omnibus perſuadente, vt habitum deſereret.

45. Cuncta autem hæc hoſtilia tentamenta, celebribus Apparitij Victorijs inſignita, prætioſiorem ipſi dumtaxàt coronam comparabant. Etenim Dei gratia vallatus, & Seraphici Patris Franciſci trina intuitiua apparitione conſolatus; vtque ſolidè in ſancta vocatione perſiſteret, paterno affatu animatus, non modò hoſtilium tentationum quarumuis robur fregit ſemper, verùm & earum tàm frequenti exercitio, vt aurum per

ignem probatior, perfectiorquè fiebat. Virtutes verò quibus eodem ſuæ probationis anno exercitabatur, ad menſuram tanti Spititus eius, eximiæ proculdubiò fuere: impenſæ præſertím in iugi oratione mentali, in Diſciplinis, inquè Cilieijs: modicùm ſomnum ſuper durum ſolum, nudumque carpens, detectus, & ſolo pane, aquaque additis quibuſdam oleribus victitans. Hiſque ornatus, annum probationis ſanctè compleuit, & Inſtitutum Seraphici Ordinis religioſiſſimè profeſſus eſt, ſumma cum conſolatione, & ſatisfactione totius Communitatis ipſo die Sancti Antonij de Padua tertiadecima Iunij Anni Milleſimi Quingenteſimi Septuageſimi quarti; ætatis ſuæ anno Septuageſimo ſecnudo, & menſe quinto. Vtpotè poſtquam cunctis perſpicuum iam fuerit, ipſius admiſſionem hanc, & dein approbationem ad Religionem, incana, ac incapaci ætate, Diuinam ſolummodò voluntatem extitiſſe.

CAPVT V.

De eius exercitijs in Religione.

46. IMMEDIATE poſt Profeſſionem demoratus vno anno in Conuentu de Tecali,ferè quinq; leucis diſtante Puebla,exactiſſimè, robuſtiſſimèq; vniuerſa Sacrarij,Ianitoris,Hortulani, & Culinæ miniſteria vnà peragebat, acſi hæc omnia vnum officium fuiſſent; adempto inſuper plurimo tempore, Orationi, Sacramentorum frequentationi, diſciplinis, alijſque ſpiritualibus exercitijs, in eo connaturalizatis, opportuno.

47. Menſe verò Auguſti Anni Milleſimi Quingenteſimi ſeptuageſimi ſexti, Obedientiæ vigore, translatus fuit ad Conuentum Pueblæ, in quo abſoluit vltimos viginti quatuor Annos ſuæ prodigioſæ vitæ, occupatus aſſiduè in colligendis duobus vehiculis elemoſinis ſui Guardianatus, inquè diſſecandis,atq; conuehendis ex ſylua Tlaxcalæ lignis Culinæ, & furnis communitatis,neceſſarijs. Quibus in operibus, varias corporis infirmitates, præſertìm herniæ, eum vehementèr affligentes, egregij animi virtute ſupe-

rabat. Et eſtò incredibili anxietate, cruciatuque talium morborum premeretur, dexterrimè tamen, nec minùs libentèr deſudabat ijs in omnibus: ipſe vnicus perficiens ab anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo quarto, ad annum nonageſimum octauum vſque, ea cuncta, quæ nunc quinque robuſti, ſanìque religioſi exequuntur.

48. Patrias, & regiones, quas hoccè tempore fructuosè peragrabat noſter magnus Apparitius, & in quibus viuens potiſſimùm exercuit ſuas virtutes, operatuſque eſt poſt obitum prodigia, ſunt Ciuitas Angelopolitana, ab eaque vna leuca procùl Aquilonari à parte, inſignis ille locellus; qui, quod in eo ſub quadam prægrandi, frondoſa, & patula quercu, dùm ſui boues vecturis defeſſi reficerentur, ipſe interdiù per pias abſtractiones, & laudes Diuinas exhilarari, ac pernoctare orando conſueuerat; Vulgi ſenſu, & Ciuitatis eiuſdem, conſenſu, publicaque ceſſione, *Tugurium Sancti Apparitij* auſpicatus, & nuncupatus remanſit; vt ſuo loco expreſſiùs patebit. Loca quoque Quauhtinchanis, Amozocì, Tepeacæ, Vallis S. Pauli, Acatzingi, Quecholæ, & Tecamachalci ab oriente Angelopolis. Tenexaci, Topoiangi, Natiuitatis, Tlaxcalæ, Guamantlæ, S. Auguſtini, Tlaxci, & Zacatlanis, S. Philippí, Apizaci, Atlancatepeci, Atlihuetziæ, Hueyotlipæ, intus nouem leucis Angelopolim à parte Norici.

Cholulæ, Calpæ, Guejotzingi, & S. Martini intra ſex leucas ad occidentem. Totomiguacanis, Malacatepeci, & Atriſci intus ſex leucis Angelopoli à meridie. Et in cunctis villis, poſſeſſionibus, & Terris præmentionatarum Ciuitatum, Prouinciarumque: in quibus conuerſatus fuit occaſione ſui officij, ſumma humilitate, integritate, exemplaritate, ædificatione, & profectu ſalutari Animarum: in quacumque virtute ſpectabilem ſemetipſum exhibens: prouti perhibetur ſuper quartò Articulo ſui Interrogatorij Apoſtolici tenore qui ſequitur.

49. Item. Quod prælibatus Seruus Dei Frater Sebaſtianus ab Apparitio toto tempore vitæ ſuæ fuerit excellentiſſimus in qualibet virtute, nimirum Fidei, Meditationis, & Contemplationis, Mundi contemptus, Puritatis conſcientiæ, Spei, Fiduciæ, Amoris, & Timoris Dei, atque Zeli ipſius honoris, Salutiſq; Animarum, Prudentię, Diſcretionis, & Circumſpectionis, Religionis, Precum Mentalium, & Vocalium, Pœnitentię, Pietatis, obedientiæ, Paupertatis, Gratitudinis, Veritatis, Simplicitatis, Liberalitatis, Fortitudinis, Magnanimitatis, Munificentiæ, Patientiæ, Longanimitatis, Perſeuerantiæ, Conſtantiæ, Temperantiæ, Abſtinentiæ, Sobrietatis, Virginalis Caſtitatis, Macerationis, Manſuetudinis, Clementię, Humilitatis, Taciturnitatis,

&

& Modeſtiæ. Pro tali ab omnibus creditus, & de facto in eiuſmodi conceptu communitèr tentus, habituſuè &c.

In quo Articulo, qui velut compendium cæterorum eſt, deponunt in genere, & in ſpecie plurimi Teſtes, & fermè omnes illi, qui conſcij fuere iſtius Sancti Viri, peculiaritèr eorum viginti tres magnę fidei, & authoritatis, ſuper principalioribus virtutibus eiuſdem, exprę́ſſis in reliquis Articulis Interrogatorij; quarum fiet ſingularis, & ſpecifica mentio in ſequentibus Capitulis.

CAPVT VI.

De eius Obedientia.

50. QVONIAM inobedientia ruina humani generis extitit in primo Adam, & exterminium totale virtutum ſecundum illud: *Quis enim indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi nè comederes, comediſti?* Obedientia verò ſalutis humanæ reparatio in Adam ſecundo, facto obediente vſque ad mortem, & eligente magìs animam ponere, quàm obedien-

Geneſ. cap. 3.

tiam non implere, vt inquit S. Bernardus: eatenùs & Nomine IESV, quod eſt ſuper omne nomen, & in quo flectitur omne genu, remunerato. Melior ſiquidem eſt obedientia quàm victimæ, & obedire nolle, vt peccatum ariolandi eſt. Hæc proindè familiaris, & amica ſaluti obedientia, fuit cynoſura, ductrix, & directrix cunctarum operationum Apparitij. Cuius tota vita ad imitationem Chriſti Domini fuit mera, perfectiſſimaque obedientia: in nullo vnquam deuiantis à voluntate ſuorum Superiorum. Quippè cuius præcipuus finis fuit perpetuò adimplere adamuſsìm iuſſa maiorum ſuorum; in adoleſcentia Genitorum, in iuuentute Patronorum, in virilitate, & ſenecta Prælatorum. Quibus quouis tempore expeditiſſimè, ac promptiſſimè, & nil penitùs cunctando paruit ad vnguem in cunctis, quæ ſibi ab ijs præcipiebantur; in nullo prorsùs obloquendo, aut annictando, vel diſplicentiam, & mœrorem vllum ſimulando, ſed potiùs cuncta ſerena, & iucunda fronte excipiens, exequens que mandata eorum, quamuis in operibus laborioſiſſimis, & dificillimis, nec obſtante quod ingentibus indiſpoſitionum ſuarum doloribus premeretur, tantaque ſolicitudine circa elemoſinas, & vecturas, aliaque clauſtralia onera, illis viginti tribus annis, & quinque menſibus, non medioritèr diſtraheretur. Quod totum ſic expreſsè

Serm. de bonis deſerendis

de-

depoſuere de viſu ampliùs quàm triginta teſtes? Vt nil ambigam ipſum in ſuperexcellenti gradu huius virtutis emicuiſſe. Vndè non modò egregium aliquem obedientiæ pugilem, vel ſimplicem eius filium, eum mihi diceres; verùm propter circumſtantias tantæ promptitudinis, & hilaritatis in operibus nimis duris, & laborioſis parendi, etiam dum morbis grauibus affligeretur, Heroëm, & Magiſtrum eiuſdem virtutis, cum omnibus Theologis profitearis. Nec aliam ſuo Superiori interueniſſe cauſam arbitror, illum, iam in omni virtute probatiſſimum, Anno Milleſimo Quingenteſimo octuageſimo quarto, ab officio vecturarum, & collecturæ elemoſinarum remouendi, & in Nouitiatu concludendi, Virum vtpotè in ſuprema ſenectute conſtitutum, & cuius exteriora ſeruitia longè plus Religioni profuerant, quàm domeſtica, niſi vt magiſterio eſſet Religionis tyronibus hanc præ ceteris virtutibus in omnimoda perfectione addiſcendi. Eà propter & Nouitiorum Magiſtro tunc à Superiore iniunctum, quatenùs eundem exaſperantèr, & moleſtè tractaret in omnibus. Per hoc namque potiſſimùm eluceſcit Obedientia, Patientia, & Humilitas religioſi. Aſt quid immoror multis? Siquidem ille nil prorsùs immoratus, nec ob hoc vllatenùs contriſtatus, ſed potiùs exhilaratus, & totus lætitia perfuſus, ſubmiſſiſſimè, ac paratiſ-

ſimè

ſimè ſuo paruit Superiori: in vnguem vitam Nouitiorum iniens, eorumque perarduum officium, non obſtante prægraui ſua ferè Nonaginta annorum ſeneƈta, & minùs tot alijs ſuarum indiſpoſitionum languoribus, omnimodè executus: ſufferendo non leues mortificationes, verba aſperrima, & pœnitentias quaſcumque vultu ſemper exultanti, & iucundo; vt talibus Obedientiæ, Humilitatis, & Patientiæ ſuis exemplis plus ad religioſam perfeƈtionem cæteris Nouitijs profuerit, quàm quibuſuis aliorum doƈtrinis.

51. Deniquè per eundem Superiorem ex Nouitiatu eduƈto veƈtura denuò iniungitur, hæcque ſaxorum pro fabrica Valetudinarij, quod tunc extruebatur. Ad quem effeƈtum datur illi mulus indomitus, & ſylueſtris, quem eovſque nemo domare potuerat, quiquè qualecumque onus illi imponebatur, deijcere conſueuerat. Cuius huiuſmodi defeƈtum quamquàm Apparitius detexerat Superiori, & ſuper periculo, quod penès eum incurri poſſet, certiorem reddiderat, hoc tamen non obſtante demandatur ipſi executio præcepti prioris. Erga quod ille cum omni humilitate flexo capite, apprehendit, conducitque mulum ad ripam fluminis penes Conuentum fluentis, vbi erat ingens quantitas ad præfatam ſtruƈturam requiſitorum lapidum, ibidemque eum innocenti, ac miti ſermone alloquitur, vt

obe-

obediret, manſuetumque ſe ſubderet: quia id genus officij vtrique eorum omninò ſubeundum erat in virtute præcepti maioris. Dictum hoc ab eo, eueſtigiò peractum à mulo; deinceps tàm ad illud onus, quàm & ad alia quæuis, agnina mititate ſeipſum ſubijciente. Atque ſic in ſeipſo probauit Diuinam veritatem illam: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.* Prouerb cap. 25.

52. In experimentum verò quàm accepta Deo fuiſſet hæc ſua Obedientia, operatus eſt Dominus multa, & grandia per eam prodigia. Nam quadam die dùm à rubeto montis de Tlaxcala præfracto vehiculo, cuius videlicèt ambæ cuſpides axis abruptæ erant, domum redijſſet, & à Guardiano petijſſet, quatenùs accommodarentur; iubetur ab hoc, vt protinùs eodem tali certam frumenti Indici elemoſinam Tepeacam abueheret. Cui ille incunctantèr, ac ſubmiſsè obtemperans, eo ipſo tali prærupto vehiculo iuſſum exequitur, & quatuor dierum itinere, per aſcenſus, rupes, & palludes, videlicèt, à præfato rubeto & monte, vſque ad Conuentum Angelopolis, & ab hoc Tepeacam, hincque Angelopolim, vnde rediens ad rubetum, & montem, demùm ad poſſeſſionem Didaci de Barreda, cuius teſtimonio oculato id deponitur, inceſſit.

53. Aliquando perrexerant ſua vehicula ad ali-

aliquot leucas abſque calybibus in rotis, & alijs vicibus adeò remiſſis, laxatiſque corrigijs, ac ligaturis boum, vt fermè ſolutæ fuerint, incapacesquè ad vllam vim faciendam, quamquàm feciſſent omnem. Interdùm ſubſidio Angelorum Seruus Dei vnacùm ijſdem ſuis vehiculis onuſtis, ac equo, tranſilijt præcipitem vallem Tulzingicam, in Tlaxçalenſi via, diſtantem leuca ab Angelopoli. Conſimilitèr aliam vallem rapido inundatam torrente, in quem dirupta ſua onerata vehicula infra pontem inciderant, & ipſe eques poſt illa; poſtquàm diù ſimul cum eis per aquas greſſus fuerat, vado reperto, ſaluus, & incolumis cum omnibus, tàm iumentis, quàm rebus vectis, nec minimo damno perpeſſo tranſmeauit; vt planè ſic affirmat Doctor Parexo teſtis iuratus in ſua hiſtoria, contenta in proceſſu. Necnon & præcipitem vallem de Quautzatzaloyam ſuffragio Angelorum, vti iurauit Alphonſus de Cardenas habitator Guamantlæ traiecit. Quos prodigioſos tranſaltus, & progreſſus, quocùmque perrexit, quis ambigat factos virtute amuſſitatæ Obedientiæ ipſius, quam ſuis Superioribus ſemper præſtitit prouti ipſi exigebant, & exactiùs; de quali eſt illud:
Prouer. cap. 21. *Obediens loquetur Victorias.* Et non niſi vigore tantæ virtutis, vt occurreret cuidam perurgenti neceſſitati Fratrum, potuit ſolus ipſe totum pondus ſui plauſtri onerati ſubleuare, quod non

po-

potuiſſent multi robuſti viri.

54. Quæ cuncta comprobant ſupernaturales ſuccurſus conſpicui Angelorum, & Sanctorum, quibus ipſi ſubminiſtrabant cibum; & in vijs, lociſque deſertis opem indigenti afferebant, noctu lumen præferebant, & quandoque Muſicam inſtruebant, aliaquè innumera prodigioſa operabantur; quę ſubſequentèr referentur in cęleſte teſtimonium ſuæ heroicæ Obedientiæ.

CAPVT VII.

De Humilitate, & Manſuetudine ipſius.

55. HVMILITAS *eſt virtus, qua,* inquit S. Bernardus, *homo veriſſima cognitione ſibi vileſcit.* Cum enim homo, & humilitas, ab humo, elemento cæteris ſubſtrato, deriuent; illius hominis propria virtus erit humilitas, qui ſe reliquis agnouerit inferiorem. Humilis, quippè idem ſignificat etymologicè, quod humo accliuis. Humo verò accliuis veriſſima cognitione idem eſt ac infimus. Et ideò Humilitas eſt virtus, qua quis veriſſimè ſeipſum cognoſcit in- Lib. de gradib. humil.

fra alios, vel infimum. Iuxta quæ aſſignantur tres gradus Humilitatis. Primus. Subdere ſe maiori, & nõ præferre ſe æquali. Secundus. Subdere ſe æquali, & non præferre ſe minori. Tertius. Subdere ſe minori. Prima dicitur ſufficiens, & neceſſaria. Secunda abundans. Tertia ſuperabundans. Non immeritò itaque Humilitas ab omnibus virtus maxima nuncupatur, *qua*, vt præfatus cenſet mellifluus, *ipſa quoque ſuperbia palliari ſe appetit*, nè vileſcat. Et Ambroſius: *Humilitas eſt clauis, quæ aperit regnum cælorum, & reſerat myſteria Scripturarum*. D. Greg. verò: *Qui ſine Humilitate virtutes congregat, quaſi in Ventum puluerem ſpargit*.

Ita gloſ in cap. cum de quibuſdam. De rel. dom. vt Epiſc. ſub.

Ibidem

ambo relati à Gloſſa prætacta.

56. Idcircò genuinus Humilitatis partus Apparitius, qua potiùs virtutum prærogatiua eminuiſſet, quàm ſuperabundantis Humilitatis? Humillimi Franciſci, de quo ait Sanctus Bernardinus, quod Humilitate promeruiſſet ſupremum illud donum, Stigmata Chriſti, filius; & tàm fidus Chriſti, qui docuit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: imitator; Diuique Pauli inculcantis: *Dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate*: ſolertiſſimus auditor, quid magis didiciſſet, quid plus ſapuiſſet, quid exactiùs coluiſſet, quàm Humilitatem? Quam primam, quam ſecundam, quam tertiam, & quotieſcumque interrogaueris, eam vnicam, reſpondet

Tom. 4. Serm. extraordin. ſer. 16. Matth. c. 11. Ad Eph. 4.

det

det D. Auguſtinus, eſſe viam capeſſendi veritatem; hanc præcipuus iſte in nouo orbe catholicæ veritatis annuntiator, dubio procùl totis viribus, toto corde, & tota anima dilexit, cæteroſq; quoſcũque verbo, & opere inſtruxit; prouti ſuper eo potiori in parte ſuarum informationum teſtes diſcurrunt, non abſque accuratiſſima ponderatione, & encomiorum ſummo pondere. Quorum nempè viginti ſex de viſu affirmant, ipſum toto vitæ decurſu omnibus ſe ſubdidiſſe nulli prorsùs ſeipſum præferendo quamuis minimo. Idque indè inferunt, quod extremè ſeipſum deſpexerit in quolibet actu exteriori, vt delectu omnimodo extremorũ in quocumq; conſeſſu, etiã inter ſæculares, & ſimplices perſonas, locorũ, nec ſecùs quàm in terra; habituum quoque abiectiorum, laceriorumque, atque verborum, ac vocum, quas proferebat humillimarum, & deuotiſſima ſuauitate refertarum. Dum enim à quadam infantula, ipſius intuitu territa, & eiulante, delirus compellaretur, non modò ſe verè fatuum eſſe affirmauit, qui ſi talis non eſſet, Deum multò plus amaret, verùm & eandem ob id mox mox matris verbera ſubituram protexerit. Quod ea dicendi humilitate, & ſpiritus contritione protulit, vt circumſtantes illacrymari oportuerit. Ex qua ſuipſius omnibus ſubiectione, vtpotè talibus quoque infantibus, per eiuſmo-

di vilipenſionem, reſultat proculdubiò in illo gradus Humilitatis ſuperabundantis, ſeu heroiciſſimæ, eo potiſſimùm quod & per eam, iniuriam ſibi illatam, velut quid gratum exultantèr ſuſceperit, iuxta illud S. Anſelmi: *Magnæ humilitatis eſt iniuriam tanquam magnum commodum ſibi factum æſtimare.* At quid plus ad perfectionem ipſius Humilitatis afferri poſſet, quàm quod contemptus quoſcumque ſuæ perſonæ, nulli vnquam ſe aſpernanti, vel qualitercumque exacerbanti, vllo ſigno indignatus, aut minimùm oblocutus, gratanti ſemper corde, & inenarrabili iubilo exceperit; vt id de eo genericè omnes teſtes perhibeant, de viſu verò plurimi. Cum vltronea hæc quorumuis contemptuum perpeſſio, ſpeciem Humilitatis Chriſti Domini, qua ad contumelias, & opprobria oblatus eſt quia voluit, eaſdemque ſufferens tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum, referat. Et quidem quod vltra eiuſmodi contumelias, & interdùm conuicia, ac ludibria, quibus ſerijs, & per ludum prouocabatur, acerbiora ſibi deberi profitebatur, ſupremæ vtique Humilitatis efficax argumentum de ſe præbuit. Nulla etenim veriori cognitione homo ſibi vileſcere quit, quàm dùm atrociora, vilioraque ſe promereri percenſeat ijs, quæ innocuè in eum conijciuntur. Sic namque adeò ſibi vileſcit, vt homines non ſufficiant ipſum

De ſimilitudin. c. 106.

ſum ampliùs vilipendere. Quod vtique culmen ipſum humilitatis attingit. Et talis teſtimonio decem occulatorum teſtium fuit Humilitas noſtri Apparitij, eſtò genericè à cæteris omnibus talis perhibeatur. Quapropter nil mirùm, quod ineluctabilis, imò formidabilis Dæmonibus erat, cum conſtet quemdam eorum ad Macarium faſſum: *Ieiunas interdùm; & ego nullo vnquam cibo reficior. Tu ſæpè vigilas, & me nunquam ſopor oppreſſit. Humilitas ſola tua me vincit.* In Vit. Patrū. Ex 2.o. præci.

57. Quod ipſum aſſerere tutò licét, ex quo Seruus Dei efflictim abhorrebat laudes de ſemetipſo à quocumque vulgari. Siquè ſubindè ab affectuoſis, deuotiſque ſuis magnificari, aut qualicumque æſtimationis conceptu extolli ſubſentiebat, illicò diſcuſſum, tanquam infenſum, & abominabilem, truncabat, eoſque à talibus laudibus omnimodè abſtrahebat, neuè illas vllatenùs repeterent, ſi ſuas domos per eum frequentari cuperent, ſeriò aduertebat: qui vt optatiſſima ſua conuerſatione fruerentur eiuſdem dictamini accommodabantur. *Vbi namque humilitas, ibi ſapientia.* Quem quà verè humilem nequaquàm latere potuit illud S. Bonau. *Verus humilis, vilis vult reputari, & non humilis prædicari. Gaudet enim contemptu ſui, & ideo hoc ſolo ſuperbus, quod laudes contemnat.* Prouer. cap. 1. In vita S. Patris Franciſ.

58. Nil minùs deiectior fiebat; quinimò ſeipſum

ipſum, Deum glorificando, compungebat operato aliquo miraculo, adeò vt ipſimet ſpectatores indè attoniti remanentes, & confuſi, neſciebant niſi ſuſpiria ingeminare. In quo humillimum Chriſtum, qui operatis miraculis, præſentibus *Præcipiebat, nè cui dicerent*. Fidelitèr imitatus, gratias, & fauores cœleſtes, quibus affluebat, Humilitatis ſapientia pro viribus occultabat. Omnium enim virtutum cuſtos, & decor Humilitas, tanta eum deuotione affecerat, vt quidquid ipſi agendum erat, ad eam, velut ad totalem vitæ ſuę regulam reſpiceret. Firmitèr enim credebat, abſque Humilitatis virtute nec in terra, nec in cœlo quidquam occupari poſſe. Siquidem, vt inquit Caſſiod. *Ipſa eſt, quæ cælum, & terram occupat*. Et iuxta S. Dorotheum: *Sicut omnis virtus ex Humilitate gignitur, & in Humilitate producitur, & conſeruatur, ita virtutum omnium Humilitas corona, & totalis perfectio eſt*.

Matth. 8. & Marc. 6

In Pſal. 137. Ser. 14. de ædific. virtut. animar.

59. Deniquè hæc erat apud eum veriſſima cognitio ſuipſius, vt ab omnibus deridendus, & contemnendus eſſet; pro talique haberi exoptabat; vt ex dicendis patebit. Hæc verò ſuipſius cognitio, eſt vera Humilitas, quæ pro amore Dei exercita ingens fundamentum fit ſanctitatis. Nam ex illa tali omnia genera virtutum pullulare neceſſe eſt, præcipuè intenſi Amoris Dei, & proximi, Paupertatis, & Pœnitentiæ, ac Religionis. Eximius

mius

mius ergo ſanctus ille, qui tanta Humilitate refulſit. Nam & Seneca aiebat: *Nondùm fœlix es, ſi necdùm te turba deriſit. Si beatus eſſe vis, cogita hoc primùm, ab alijs poſſe contemni.*

60. Et quod omnimodè renuerit mori in lecto more cæterorum, ſed proſtratus in terra, vti obijt Seraphicus Pater noſter Franciſcus, indutus tamen ſuo habitu, quem illi nemo auferre potuit, toleratis ſumma patientia ingentibus ſuorum morborum cruciatibus, & doloribus, demonſtratur euidentèr omnimoda Humilitas illius. Quàm præ cæteris virtutibus eum in heroico gradu poſſediſſe, faſſus eſt etiam in ſuis litteris ad Catholicum Regem, datis quarta Maij Anni Milleſimi Sexcenteſimi quarti Dominus Epiſcopus D. Didacus Romanus.

61. Cumque Humilitatis primogenita videatur eſſe proles Mititas ex Beatitudinum, quas Chriſtus enumerat ordine, primò beatos pauperes ſpiritu, ſeu humiles conſtituens, & immediatè tãquàm eorum filios mites, beatos pronuntians, illiſque cœlum, & his terram talium virtutum merito poſſidenda proponens, nil ſupereſt ambigendum, humillimum Apparitium mitiſſimum quoque extitiſſe. Quia verò, vt inquit Iob: *Verè ſtultum occidit iracundia, & paruulum interficit inuidia*; Sequitur quod verè ſapientem ſaluet Mititas. Iob c.5.

Hæc

Hæc enim definitur à Speuſippo, quod ſit *Facilitas animæ omnis expers iracundiæ.* Ideoque, & Apparitium noſtrum in ſapientia tantæ humilitatis ſuæ, virtute Mititatis, ſeu Manſuetudinis ſaluaſſe animam ſuam, iuxtà illud Spiritus ſancti: *Fili in* Eccleſ. cap. 10. *manſuetudine ſerua animam tuam.* Etenim ipſum quatuordecim teſtes occulati Māſuetudinis exemplar fuiſſe conteſtantur. Et cuncta opera eius in Manſuetudine peracta hoc ipſum perhibent; vt ea quæ vitæ illius exhibet nitidè probant, perfectūque diſcipulum eius demonſtrant, qui docuit: Ibidem cap. 3. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris.* Et quidem quod nulli vnquam, quamuis ipſum vexanti, contemnenti, & qualitercumque exacerbanti, reſtiterit, vel vllatenùs indignatus, aut oblocutus fuerit, vt ſuperius retuli, verùm omnibus Manſuetudine Angelica reſponderit ad interrogata, & eadem interrogauerit, quæ interroganda erant, præcipuæ Manſuetudinis in ſe indicia præbuit. Cohibere enim motus reſenſitiuę erga pungentes, & non reſiſtere diſplicentibus, quin potiùs animū facilitare, & illos, & hos mitigandi, effectus ſunt immediati virtutis Manſuetudinis, cuius ſolius facultas eſt in proprio elidere ſubiecto iracundiam, & in aduerſo lenire, prout id declarat Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 1. & 2. *Mites ſunt, qui cedunt improbitatib⁹s, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono*

malum. Cum verò iracundia capitale ſit vitium, & plurimorum principalium criminum, quæ Deo execrandá ſunt, iuxta illud: *Ira, & furor, vtraque execrabilia ſunt, & vir peccator continens erit illorum*; caput, & origo; virtus hæc Manſuetudinis proculdubiò inter heroicas celeberrima, & Deo acceptiſſima erit. Nec proindè mirum, vt per eam ſaluare animas noſtras à Spiritu Sancto moneamur. Et quod non niſi manſueti ſaluentur ipſe teſtatur: *Cum exurgeret in iudicium Deus, vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.* Ideoque, & hortatur per Prophetam: *Quærite Dominum omnes manſueti terræ.* Quaſi non niſi à manſuetis eſſet reperiendus. Quod S. Dyonius exemplo Moyſis præclarè demonſtrat inquiens: *Moyſes meritò eximiæ Manſuetudinis Diuina familiaritate, & tanta amicitia dignatus eſt, vt ſi quando à Manſuetudine defeciſſet, etiam à conſpectu Domini exciderit.* Si quippé in terris hoſtem nullum agnoſcit Manſuetudo, nilque aduerſum, & confuſum patitur, quomodo in cœlis, vbi ſola pax regnat, & quies, pręrtioſa non eſſet? Indè eſt quod & S. Gregor. ait: *Quoties turbulentos animi motus ſub Manſuetudinis virtute reſtringimus, ad ſimilitudinem redire Conditoris conamur.* Nec abſque cauſa Caſſianus hanc virtutem intimam mentis humilitatem appellat: *Intima mentis humilitas tùm demùm euidentiſſimis fulget indicijs, cum quis ſibimet ab alijs arrogantèr,*

Eccleſ. cap. 27.

Pſ. 75.

Soph. 2.

Ep 8. ad Demophilũ.

Lib 5. Moral. cap. 30.

ingeſta crimina, & irrogatas iniurias, manſueta cordis æquanimitate toleraueris. Nam per virtutem Manſuetudinis pręcipuè virtus Humilitatis probatur, vt per ſimillimam ſibi prolem. Ob quod ambiguus eſſem decernere, manſuetior nè, an humilior extiterit Apparitius, dùm à quibuſdam pecus, belua, beſtiaque appellabatur, & nil ipſis ſuccenſebat, quin potiùs per eiuſmodi offenſiua exhilarabatur, & ſubridebat.

CAPVT VIII.

De eius Patientia, & Pænitentia.

62 INCLYTA Humilitatis gnata Manſuetudo, & legitima eiuſdem ſoror, indiuulſaquè ab ea ſocia Patientia, pari paſſu ornauerant, vel potiùs communiuerant Apparitiũ, vt quidquid Humilitate incóàſſet, Patientia immediatè ſuppeditante perfeciſſet. Hinc verba ipſius perpetuò conſona, modeſta, & ſuàuia fuere, etiam dùm aſperrimè tractaretur ab aliquo: eodem prorſùs iucundo, gratantiquè corde excipientis pungentia, & acerba, quo & placentia: nec ſecùs ſubeuntis aduerſa, quàm proſpera; afflicti-

flicti-

flictiua, quàm conſolatiua; horrida quæque quàm lenia. Mortificationes verò à ſuis Superioribus, & repræhenſiones Religioſorum, tanquam intrinſecorum amicorum abblandimenta,& præcordiales affectiones amplectebatur.

63. Et ſanè vir, nonaginta annorum ætate confectus, & nedùm tantæ ſenectutis, quæ ipſa ſat grauis morbus eſſet, verùm, & tot ante hac memoratarum indiſpoſitionum ſuarum prægrauatus morbis, alijſque non paucis humanarum moleſtiarum obliquitatibus exagitatus, non mediocris Patientiæ dono cœlitùs obfirmatus eſſe debuit, vt ſub ijs cunctis nil triſti, aut mœſto, ſed totum blandè arridente vultu, quidquid obeundum, quidquid etiam operandum,& ſufferendum erat, peregerit: quaſi factis ipſis docuiſſet, quod cœlitùs traditum didicimus: *Iucunditas cordis hæc eſt vita hominis,& theſaurus ſine defenſione Sanctitatis.* Ecclef. cap. 30. Quænam verò hæc tàm fauſta cordis iucunditas, quæ hominis vitam conſtituat, & theſaurus ſibi ſit tàm prætioſus, vt non egeat ſuæ defenſione Sanctitatis? Siue Politicum, ſago, aut toga clarum; ſiue Philoſophum, Phiſicum, vel Ethicum; ſiuè Theologum, Scientificum, Myſticumuè; ſiuè cuiuſuis alterius profeſſionis, inſtituti, ſtatus, & conditionis virum percontemur, Patientiam eam eſſe tutò affirmabit. Hæc enim quamquàm tolerantia ſit dificilium, & arduorum, iuxta Ci-

ceronem definientem illam, quod ſit *Arduarum, dificiliumque rerum, cauſa vtilitatis, vel honeſtatis, voluntaria, & diuturna perpeſſio*. Quia tamen ſpontè, ac libentèr amore finis honeſti, & vtilis habetur, iucundum, voluptuoſumque reddit cor, & propterea vitam verè prætioſam inſtituit, & admirandam. Quæ ſi ab aliquo, Dei amore, haberi probatur, vt erat quorumdam Martyrum extemporè conuerſorum, & Diui Petri, amarè flentis, & patientis dolore, etſi de cæteris virtutibus talis nil conſtaret, ipſa ſola ſit ſufficiens ad ſalutem, & ad ſanctitatem. Vt loco quorumuis Patientiæ cultorum, mira eiuſdem deuotione ſuper illius laudibus perſcribit S. Cyprianus Epiſcopus: *Inter cæteras cæleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda diuinitùs præmia Spei, ac Fidei noſtræ ſecta dirigitur, non inuenio fratres, quid magis ſit, vel vtiliùs ad vitam, vel maiùs ad gloriam quàm Patientia. Hanc ſe ſectari Philoſophi quoque profitentur; ſed tàm illic Patientia falſa eſt, quàm & falſa ſapientia. Nos verò, qui non verbis, ſed factis Philoſophi ſumus, Patientiam, quàm magiſterijs cæleſtibus diſcimus, obſequijs ſpiritalibus præbeamus. Eſt enim nobis cum Deo virtus hæc communis. Inde Patientia incipit; inde claritas eius, & dignitas caput ſumit. Origo & magnitudo Patientiæ, Deo authore procedit. Et ideo diligenda res homini, quæ Deo chara eſt. Ipſa eſt, quæ nos Deo, & commendat, & ſeruat. Ipſa eſt quæ irā temperat,*

1. de Inu.

Tract. de bono patientiæ ſerm. 3.

rat, linguam frænat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coërcet potentiam diritum, inopiam pauperum reſouet, tuetur in Virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in Coniunctis indiuiduam charitatem; facit humiles in proſperis, in aduerſis fortes; contra iniurias, & contumelias mites. Docet delinquentibus citò ignoſcere; ſi ipſe delinquas, diù, & multum rogare. Tentatationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones, & Martyria conſumat; Ipſa denique eſt quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit. Vix tantùm de vlla alia virtute, vel quid plus de hac ipſa, proferri poſſet.

64. Ecquid tu præ cæteris nunc Politice fateberis, auditis tot ab eruditiſſimo Carthaginenſi Concionatore encomiorum Patientiæ gnomis? Qui eſtò rempublicam tuam, quà bello, & quà pace, nonniſi Patientiæ baſi ſubnixam, & vtrinque ſibi, tùm ſecundis, cùm fractis rebus, vt ſecurè conſiſtat, ab ea dumtaxàt præſidentem cernas; adhuc tamen non plenè ipſam diſcernas, niſi vitam tui ſtatus afferas, in quo nil eſt quod ſine ipſa viuat. Hæc Militis tui ad haſtam excubantis, iaculaque tàm excipientis, quàm excludentis; hæc & ciuis parere, aut pati parati gnomon, & tibi cum eis potior regula viuendi eſt, veraque vita. Equidem immortalis veritas eſt, quòd: *Iucundi-*

tas cordis (quę voluntaria dificilium tolerantia eſt) *fit vita hominis, & theſaurus ſine defenſione* Eccleſ. cap. 30. *ſanctitatis*. Vt proindè nil tibi prorsùs de exitiali illa ſapientia tua, qua cor machinationibus tegis, & ſenſum verbis velas, vt rem tuam protegas, præſidas, ſed vnicè de tua Patientia: quam quidem & inuitus habes, nè pereas. Voluntaria tamen eſſe debet, vt Chriſtiana ſit, & ad æternam ſalutem proficiat. Eaque planè, quam noſter Apparitius de rebus arduis, laborioſis, & difficillimis habuit: Nunc multiformis, & prægrauis, nec ab vno ſubeundæ vecturæ, officium diuturnum; hocque per itinera abrupta, ſcabrata, & inuſitata, paludoſa, & præcipitoſa; nunc, & tot alia, vt Portarij, Sacriſtæ, Coqui, & Hortulani, ſeorsìm, & interdùm coniunctìm ipſe ſolus peragens; vt id centeni, & eorum plurimi de viſu teſtes depoſuere. Quodque ſingulari reflexione dignum eſt: exequens ea cuncta lætiſſimè, & iucundiſſimo corde; vt ab initio fatus ſum. Vnde infertur, ipſum fuiſſe inſignem Patientiæ profeſſorem, qualem exigit S. Iacobus Apoſtolus ſcribens: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias inci*Cap. 1.*deritis, ſcientes, quod probatio veſtra fidei Patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Neque enim tot onera ab vno ſubiri poſſent lætè, & hilaritèr, niſi omne illud gaudium ſuum exiſtima-

maret, cuius viribus tam potens ad omne illud ſufferendum redderetur.

65. Quàm verò perfectus Patientiæ Profeſſor fuerit hinc vlteriùs conijciendum, quod eam alijs quoque influere, & communicare ſciuerat efficacitér, nil minùs ac aliquis perfectus Magiſter ſcientiam, quam profitetur; ſuauibus ſuis verbis, atque prudentibus, ſolidiſque rationibus concordando quos præſciuiſſet inter ſe diſcordes: quibus reconciliatis, & pacificatis, conſulebat, vt ad euitanda ſimilia iurgia, ſimultates, & odia, quæ directé conducunt ad præcipitia ſalutis, ab inuicem ſeiungerentur. Quod totum illi à ſua Manſuetudine, Modeſtia, & Affabilitate, præſertìm verò à iucunda, gratioſaque pœnalium omnium, & quorumuis afflictiuorum Tolerantia coniuncti, libentér exequebantur, cum eoque libentiùs conuerſabantur, illumque ob hoc velut quemdam naturæ excellenti, orisquàm humanæ reputabant. Crediderim vtique, Apparitiũ velut agriculturæ, quæ Patientiæ ſedula cultrix eſt, & miniſtra, optimé peritum, inter tales interponere conſueuiſſe, Apoſtolica illa verba: *Patientes eſtote fratres vſque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pratioſum fructum terræ, patientèr ferens donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit. Exemplum accipite* Iacobi. cap. 5.

pite

pite fratres exitus mali, laboris, & patientiæ. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis: quia Miſericors eſt, & Miſerator. Et donum tantæ virtutis eis cum eiuſmodi efficacia influere potuiſſe.

66. Adhæc non incongruè aſſertum eſt: *Fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis.* Nam ex tanta Patientia Apparitij, dura nimis, & ſeuera eius Pœnitentia neceſſariò ſequi debuit. Hinc quamquàm quælibet virtutum illius ſeipſa emenſa cæteris præponderare appareat; hæc tamen Pœnitudinis, ſeu mortificationis, quod pro ea firmiùs comprobanda plures, quàm trecenti incaleſcant teſtes, innumeros caſus adducentes, præcellere videtur in eo.

Cic. in partit.

67. Non defuere tamen quidam huius virtutis inexperti, & procùl ab ea diſtantes, qui Pœnitentiam Apparitij ruſticitati, ſeu cuidam ingenitæ duritiei eius attribuebant. Quos nihilominùs toto cœlo aberraſſe, tàm fœdum iactantes commentum, reliqua eius opera, in ſinceritate ſpiritus, & virtutis peracta, perſpicuè demonſtrāt. Et ipſemet iam iam ab hac vita deceſſurus, ſuo Patri Guardiano expreſſit, quo fine carnem ſuam afflixiſſet, dum illi ſuæ conſcientiæ tenorem detegens, ſic dixit: *Toto vitæ meæ decurſu operam præcipuè impendi, quatenùs vilem vermiculum, corpus ſpiritui, & hunc Deo, quouis genere mortificatio-*

nis

nis ſubijcerem; ſicque meo Creatori complacerem, & in regnum cælorum, quod non niſi pœnitentia conſequitur, ingrederer. Hocque vnico fine, & nequaquàm, vt quidam opinati ſunt, animi relaxandi cauſa, tàm duro vecturarum miniſterio in tantùm addìctus fui.

68. Hinc nunquam in ſuum lectum admiſit culcitram, aut ſtramentum; nec linteamina, neque vllam aliam commoditatem, in ipſa quoque vltima ſua infirmitate; dormiens ſolùmmodo ſuper durum ſolum, potiſſimùm vltimis viginti quatuor annis,& aliquibus menſibus, quibus demoratus eſt Pueblæ, ſaxũ capiti ſupponens, detectus,ſubdìo,ſub niuibus,gelu,pluuia, alijſque temporum, & aëris inclementijs; vt nullum afflictationis genus, quo ſuũ corpus perenni maceratione ſubderet ſpiritui, defuerit; prouti id affirmant ſeptuaginta teſtes de viſu.

69. Quàm autem grata fuerit Deo hæc ſua mortificatio, nonnullis miraculis eam Dominus comprobauit, vt nonnumquam campis gelu,glacieque completis, locus in quo Seruus Dei ſubſtiterat, & circa illum aliquot palmi terræ, nec gelu, nec vllo glaciei,aut niuium rigore operirentur. Et conſimilitèr dùm integra nocte pluiſſet, Seruus Dei, & ſitus, quem premebat nil pluuijs maduere. Interdùm laſſitudine grauatus, ante vnum foſſatum ex ijs,quæ ſunt in via, Puebla Tlaxcalam du-

cente, obdormire debuit; contigit hoc interim, vt cœlitùs lapſi nimbi, ſaltibus, & rupibus ex illis, non iam in torrentem, atqui in rapidiſſimum flumen confluentes, ſaxa, trabes, truncos, & omnem obuiam molem inuoluerent, ipſumque Dei Seruum intactum, inſulano circuitu præterirent.

70. Et quod non ignotum fuiſſet Apparitio, quàm benignè complacuiſſet Diuinæ Clementiæ proſecutio mortificationis ſuæ, tanto ſtudio, amore, & zelo erga eam ferebatur, vt à conſueta aſperitate eius, nec in ſuis inualetudinibus, præſertì in horribilis herniæ, quam ex aſſidua plauſtrorum vectura contraxerat, abſtinebat; & ſi quandoque importunitate, & reiteratis ſuorum deuotorum inſtantijs adactus, ſub tectum, vel ad lectum cubaturus introiſſet, quaſi in flammas inijceretur exarſurus, reputabat.

71. Cuiuſmodi piæ corporalis macerationis & ſpiritus impinguationis gratia, quandoque reperiens patriam gelu rigentem, piſcinis, aut fluminibus ſeipſum immergebat; & aliquando habitum fontibus, aut fluuijs madefactum induebat, vt rigidiùs algeret; & varia mortificatione extenuaretur; licet ipſe talis habitus, ſeipſo ruuidus, & aſper, lacerquè, immodica ſeni decrepitæ ætatis pœnitentia, & mortificatio foret. Semèl rupto brachio nulla medicamina adhiberi paſſus eſt, ſed adeò ſtrictè quaſdam tabellas illigari, vt carni inhæſe-

hæſerint, doloremque exceſſiuum cauſauerint; quouſque à Domino reſanatus fuit. Multominùs curabat exulcerationes quaſcumque, & crenas corporis, præſertìm manuum, pedumque reſultantes ex indeſinenti itineratione per aſperos mõtes, valles, & per ſaxa, dumeta, & ſyluas, iugique ex labore; quamquàm etiam ſanguinem effluerent.

72. Perpetuò inceſſit diſcalceatus, & capite detecto, quamuis ſub ſole, ſub niuibus, ſub ventis, & aquis: aſperrimo ſuper nudum cilicio indutus. Cumque in locis ſolitarijs orationi intenderet, diſtricto pœnitendi Diui Hieronymi exemplo, tàm feruidè, fortiterquè molari pectus tundebat, vt illud hinc implagatum aſſiduè gerebat. Cui propterea non impropriè alluderem:

Gutta cauat lapidem, lapis hìc de pectore guttas!
Elicitur Chriſti ſic, amor aſſiduus!
Perficit innocuum hæc vis pectus, & inſtruit Indos
Vimquè polo cunctos, lucraque ferre ſolo.

73. In reliquum quoque corpus ſæuiebat rigorosè, illud perſæpè flagellis cædendo ad ſanguinem vſque. At vel hinc cœlis hac amica. Macte virtute Appariti! Quod ipſis Pœnitentiæ Magiſtris inuſitato pœnitentialis multæ rigore, quem ſubdo, præluxeris. Dum namque ſubindè rigentem frigore, ad focum beneuolo ſui deuoti hortatu allicerent, & gelida membra calo-

ris ſuffragio aliquantulùm focillare perurgerent; nè refocillatione ſaltem momentanea per hoc in virtute Pœnitentiæ hebeſceret, approximatus, ad eorum placitum, igni, rigentia membra in ipſum ignem illicò inijcere, eoq; vſtulare ſolitus erat, & haud quaquàm blando hominum more calefacere. Cum etiam alius illi ſuum corpus mortificandi deeſſet modus, ipſum circa eas partes, quas, ad Dei, & Proximi ſeruitium ſegniores perſentiſceret, accerrimè vellicabat. Ob quę rogatus quãdoq; ab aliquibus, vt fateretur, cur tàm immitè, & ſæuitèr ſeipſum excruciaret, puniendo, & pœnitẽdo, cum iam decrepitus eſſet, ac valetudinarius, reſpondit: *Vt in cœlum introduci fas ſit, quod non aquiritur ſecùs*. Planè vt conſueuerat S. Auguſtinus Ex 6. lect. ſui officij. inculcare: *Neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcium, committere debere, vt ſine pœnitentia migraret è vita*.

CAPVT

CAPVT IX.

De Paupertate, & Caſtitate illius.

74. PAVPERTAS Sanctiſſima, Chriſti diuitię, Franciſcanorum ſubſtantia ſperandarũ rerum, ſpes non confundens, & dilectio malum non operans; quæ in ſuis theſauris Filium Dei in hũc Mundum deduxit, & ſui amore nos in eodem Dei Filio, ipſummet Mundum, Carnem, & Dæmonem eluctari edocuit, adeò Venerabilem Seruum Dei Apparitium erga ſeipſam inflammauerat, vt ſi vniuerſum Mundum poſſediſſet, eius zelo perfacilè dimiſiſſet. Siquidem bona, quæ aliàs ingenti labore comparauerat, nec exigua, ac ſi nil fuiſſent, contempſerit, & illius gratia pauperrimum Seraphici Patris Franciſci Inſtitutum, complexu, verè Paupertatis amatoris, arripuerit, in eoque pauperrimo, omnium ipſe pauperrimus, ad vnguem, vel vt inquiunt, ad apicem, & iota

ſuæ

ſuæ regulæ, toto vitæ decurſu vixerit. Qui ſcilicèt à die ſuæ profeſſionis nunquam cellam propriæ habitationi neceſſariam poſsedit, ſed in angulo Conuentus, quem diſoccupatum reperiebat, ſeipſum componebat: totoque tempore, quo ad elemoſinam deſtinatus fuit, in ambitu Conuentus ſub ſuis plauſtris receptaculum ſui habuit; vt indè dignoſcas, quid aliud poſſediſſet? Ipſius habitus totus lacer, & repetiatus, vix dignoſcebatur religioſus. Et quando Superior illi ſubminiſtrabat nouum, is eum commutabat cum veteriori, & attritiori, qui in Conuentu reperiri poterat. Cuiuſmodi Paupertatem obſeruabat ſolertiſſimè in omni reliquo.

75. Nullo vnquam caſu in Religione, & sì extremi morbi, & in ipſo vitæ extremo articulo admiſit induſium, Culcitram, vel linteamina in lecto. Pluriès incedebat abſque pallio, vtque præfatum eſt hucuſque, diſcalceatus, nudo capite, & ſola rerum omnium penuria diues; quam cum tanta vitæ pauperrimæ extenuatione, exultanti ſemper, ac hilari animo ſufferebat: nunquàm in vultu, aut vllo nutu alteratus, vel ab ingenita alacritate, & affabilitatè emotus. Quocircà Deo, qui primo gradu beatitudinis, pauperes Spiritu, donat, tantum Apparitij, Paupertatis amorem, pretioſum extitiſſe, haud dubium eſt. Eius namque oraculum eſt: *Ad quem autem*

reſpi-

reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & timentem ſermones meos? Quod ipſa, Apparitij indigentijs, ab Angelis mirè impenſa obſequia, liquidò probant; vt alibi affero. Iſaiæ, cap. 66.

76. Adeò autem expauit tremendum illud Chriſti: *Faciliùs eſt camelum per foramen acus traducere, quàm diuitem ingredi in Regnum Cælorum.* Vt dùm in ſæculo velut antonomaſticè, *Apparitius diues* nuncuparetur paſsìm, ſe iam excluſum ab æterna beatitudine autumaret. Hinc crebriùs, & illud ſibi repetebat. *Qui volunt Diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Ideòque diuitias expedire magis ad ſalutem relinquere, quàm relinqui ab eis, pauperemque pro Chriſto fieri, vt tutiſſimam ſententiam ſequi deliberat; nec cunctatur exequi. Nam piè diſtracta ſubſtantia, in ſolum Sanctæ Claræ Mexici Cœnobium ad octodecim millia ſcutorum conuertit: vtque prætactum eſt, amore ſanctiſſimæ Paupertatis, totum Mundi theſaurum deſeruiſſet. Cuius gratia iam ex diuite pauperrimus effectus, quidquid vilius, & deterius æſtimabatur, eo ſeipſum amiciebat, vt pluribus, non modò rudiſſimo, atque pannoſo amictu abiectiſſimum ſe quemdam profiteretur, ſed etiam ob extremam miſeriam, quam eo præferebat, deridendum exhibebat. Quamobrèm ſciſcitatus ab eis, vt quid tàm deformitèr amiciretur, reſpondere conſueuerat:

uerat: *Alij calceantur, vt volunt, ego vt poſſum. Nec iudico honorem perſonæ conſiſtere in amictu, ſed in virtute, & honeſtate.* Idcircò ſi quem excedere in habitu aduertebat, reprehendebat ſeriò, compluries ingeminando illud horrendum: *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Et illud: *Nonnè Deus elegit Paupertatem in hoc mundo.* Et idem eſt quod
Iacobi cap. 2. ait Sanctus Iacobus Apoſtolus: *Nonnè Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe.* Denique quantus zelus illius fuit erga Sanctam Paupertatem, hinc ſaltem conijcere licet, quod paulò ante ſuũ ab hoc mundo deceſſum faſſus fuerit, *nil ſe unquam admiſiſſe contrarium arctiſſimæ Paupertati in Religione, nec hanc in vllo aggrauaſſe, quod vnius ſpicæ frumenti indici valoris eſſet.* Quis autem ambigeret, ipſum eoùſque Paupertatem adamaſſe, quem conſtitit ſuperiùs in tertio Capite, Caſtitatis eximium cultorem tota vita extitiſſe.

77. Velut quippè diuitiæ delitiarum, & cum his voluptatum carnalium, mollicieí, & lubricitatis nidus haud impropriè cenſentur; ita voluntaria Paupertas, propria Caſtitatis genitrix nõ immeritò reputanda; & hanc nullibi tutiùs conſiſtere, quàm in ſinu illius, ratum, & toto orbe probatum eſſe. Quinimò ob neceſſariam earum adinuicem connexionem, ab vna ad aliam, inega-

negabilis tenet conſequentia; vt ſi quem voluntariè pro Chriſto pauperem aſſerueris, caſtum quoque profitearis neceſsè eſt, & èconuersò. Apparitius ergo, quem à teneris vnguiculis adhuc, Caſtitatis congeminata trophæa reuexiſſe didicimus, inſignis, Paupertatis Chriſti, amator non fuiſſet? Vel qui tàm generoſo, non modo blandi nominis Ditis, ſed, & diuitiarum, & quidem proprio labore partarum, quæ non facile deſeruntur, pro Chriſto abiectu, blanditias earum, & delitias omnes à ſe penitùs reſcidit, Caſtus non fieret?

78. Vtique caſtiſſimus fuit Apparitius, vti & pauperrimus pro amore Chriſti, & Virginali Caſtitate præfulgens, in gemino matrimonio ſeruata; ex hucuſque allatis fide innumerorum teſtium: de quo, tanquam de re indubitata, & notoria, ac publica in vniuerſo Mexici regno, ſuperfluum eſt prolixiùs diſſerere. In peculiarem tamen laudem ipſius, & quod efficacitèr ad Caſtimoniæ cultum extimulet, refricanda eſt mens per ea, quæ is, rudis aliàs, & agreſtis vir, vix quidpiam de Chriſti virgineo gynæceo, & de Caſtitatis meritis, ac præmijs edoctus, Salmanticæ potiſſimùm, peruenuſtam Dominam, ad concubitum eum illicientem, & duas alias ipſum in San-Lucar conſimilibus illecebris non ſemel pertentantes, ſtrenuè effugiens, caſtitatis zelo præſtiterit.

ſtiterit. Quarum duarum, altera quidem nobilis virgo, & formoſa, rapta, ipſique in cuſtodiam à raptore profugo dedita, quamquàm multiformi aſtu, & ipſa ſuipſius depudeſcente coram illo denudatione, ſategerit, vt eum ad impudicum facinus laceſſeret; nec id intra quadraginta dies, quibus apud eum degit aſſecuta eſt, vt vel vnicum ipſius intuitum edidiſſet, vel ad ineſcantes ipſius actus, & abblandimenta vllatenùs attendiſſet. Altera verò ſui patroni, cui in aruorum cultura famulabatur, filia, in eumdem deperiens, vix quidquam allectando intermiſit, quo ipſum non aſſiluiſſet. Caſſo tamen penitùs labore! Nam caſtus iuuenis, caſtitudinis amore inflammatus, ergà peregrinum amorem calybe durior fiebat. Quare hac ſignantèr de cauſa, Sanlucar de Barrameda, & totam ſimul Hiſpaniam deſerens, ad Indias vſque elongari decreuit: in ſinu importunæ amantis, vt S. Ioſeph pallium in manibus ſuæ, ſolas carnalis concupiſcentiæ exuuias derelinquens. Quid autem mirum; vt à nefario concubitu intemeratus, eſtò ſic procacitèr tentatus, euolaſſet, qui dein à licito in duplici Matrimonio, firma caſtitatis fide exactiſſimè abſtinuit: Virginale Apoſtoli conſilium, quo tàm ſanctè permulcet: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, quod bonum ſit homini ſic eſſe*: conſtantiſſimè executus?

1. Corinth. cap. 7.

Ve-

79. Verùm ſi ſanguine aliàs feruentis adoleſcentiæ pugilatu, ineluctabilis caſtimoniæ propugnator extitit Apparitius, tot bellis à tàm potentibus oppugnatus belluis; quid à fortiori de illo fatendum poſtquàm voto caſtitatis in Religione fuerit obarmatus? Non aliud ſanè, quàm quod nec ab alijs quidquam obſcœnum dici, & multominùs fieri tolerauerit, quin ipſis acutè ſuccenſuiſſet. Hinc eſt, quod Tertiarius adhuc in miniſterio prælibati S. Claræ Mexicani Cœnobij exiſtens, dùm quemdam effœminatum iuuenem ad vnam mulierculam laſciuè fabulantem aduertiſſet, illicò caſtitatis zelo concitatus, charitatis titulo illum adhortari cœpit, nè deinceps tàm effrænis fieret in verbis: corrumpunt enim bonos mores colloquia mala; & Chriſtianum non modò opere, ſed & dictis, & cogitatu oportet eſſe pudicum. Perdurante nihilominùs ſalaci iuuene impura dicacitate lenocinari circa mulierculam, derepentè ſubſtilit in eum cacodæmon, guttur præſtringens, mox mox præfocandum. At qui hactenùs Apparitij conſilia caſtitatis neglexerat, fòrs tunc pereundus ſuffragia anhelauerat; & en protinùs accurrit Apparitius, inclamatque ad eum: *Mortalium perdite, ſi contemnis emendari, non effugies præſens iudicium; ſin verò firmitèr proponis recedere à ſalacitate, miſericors, & Miſerator Dominus miſerebitur tui.* Tremefactus autem iuue-

nis ineuitabili periculo, quid aliud annuiſſet, quàm quod tantus Caſtitatis Zelator Apparitius perſuaſiſſet. Et protinùs à Dæmone Serui Dei meritis eliberatus fuit.

80. Quinimò ſi quempiam non declinantem ſaltem occaſiones aduerſus caſtitatem aliquid imaginandi ſubſenſiſſet, acritèr arguebat. Et planè ſic euenit, cùm aſſociatus quodam religioſo iuuene exijſſet mendicatum frumentum Indicum in Valle de Tlaxcala, & iuuenis ſocius confectus iam fame, quod non parùm vltra horam prandij eſſet, diuertiſſet ad quemdam locum, vt reficeretur; Apparitius autem ipſum ſubſequeretur, & quiddam pro amore Dei emendicatum apud habitaculi illius fœminas edentem depræhendiſſet, confeſtìm illum huiuſcemodi ſermone excepit: *Frater! Et ſenibus hoc nefas! Præſtat enim fame mori, quàm in tali ſocietate manducare. Illud namque pro amore Dei pateretur; hoc dæmoni occaſio præberetur*. Quocircà adeò fœminas deuitabat, vt nullo vnquam caſu in Religione ſolus cum ſola collocutus fuerit. Mulierem enim amariorem morte Sapientis conſilio, nouerat. Ideo & graui inualetudine afflictus, in cuiuſdam mulieris domo, obſequium quoddam tali morbo neceſſariū, nequaquam acceptauit ab illa. Quàm ergo & hinc metuendus erat dęmonibus illud Sancti Abbatis Antonij præcellentèr demonſtrat: *Mihi credite*

dite

dite, dicebat, fratres, pertimeſcit ſatanas piorum vigilias; Orationes, Ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, & humilitatem; maximè verò ardentem in Chriſtum Dominum amorem. Siquidem vltroneam Paupertatem, & Caſtitatem, ob ardentem in Chriſtum amorem, tanta ſpiritus celſitudine obſeruauerit. Ita le-gitur eius of-fic.

CAPVT X.

De Fide Apparitij.

81. FIDES, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, quàm magna fuerit Apparitij, liquet ex ſtudijs ipſius, potiſſimùm circa id impenſis, vt Deo iugitèr placere poſſet; prouti idem teſtatus eſt ſuo Guardiano paulò antequam obiret; vt retuli Superius Capite de Pœnitantia. Neque enim niſi firmitate auctiſſimæ Fidæi auſus fuiſset ſubire aſperrimã vitam, & rigores extremos, cuiuſuis virtutis, quas in eo hucuſque perſcripſi, ſpretis tàm heroicè diuitijs. Nam *probatio fidei*, inquit S. Iacobus Apoſtolus, *patientiam operatur, & patientia opus perfectum habet*: Probata itaque iam inſigni ſua patien-

Ad Hebræos. cap. 11.

Cap. 1.

tientia in omni virtute, probata quoque eo ipſo manet, & inſignis fides illius; cuius dictamine virtutes ipſæ exercentur, & robur ſumunt. Quis enim quid pateretur pro Deo, niſi eum firmitèr crederet Deum verum, pro quo id ſufferendum meritò eſt, quod ſuffert; iuxta illud Auguſtini: *Quis enim orat, in quem non credit? Vbi fides deficit, oratio perit.* Ideòque Patientia à S. Cypriano Epiſcopo virtus, quæ *Fidei noſtræ fundamenta firmitèr munit* appellatur, vt attuli Capite de Patientia; quod reuerà Fidem inferat patientia, & magnitudo huius, illius aſtruat magnitudinem, & totam molem eius ſuffulciat, ac ſuſtentet. Summa proindè patientia Apparitij, egregiè ſummam illius Fidem oſtendit.

De Verb. Dom. Ser. 36.

82. Et quidem aſsenſus ille tam generoſus, quo Chriſto perarduè hortanti: *Si uis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus:* ſtrenuè paruit, diuitias prorſus omnes pauperibus erogando, & ſeipſum famulatui Chriſti in arctiſſimo Seraphicæ paupertatis ſtatu mancipando; prouti omni dubio procùl heroicus eſt, ita non niſi Fidei heroicæ fuit. Velut & feruor ille, quo ſanctè quidem, ſed acerrime excandeſcebat aduerſus Hebræos, Hæreticos, & ræliquos infideles. Quorum & pertinaciã efflictìm deplorabat; & conuerſionem, vt & quorumuis peccatorum, atque S. Matris Eccleſiæ exaltationem, cordicitùs exoptabat.

Ve-

S 3. Verùm quia *Fides ſine operibus mortua*; *& in operibus conſumata eſt*, vt inquit S. Iacobus Apoſtolus: de Abraham enim, quia obtulit filium ſuum ſuper Altare dicitur: *credidit Abraham Deo; & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt*; Siquis Fidem Apparitij, & excellentiam eius diſcere peroptat, admiranda opera eius ſcrutetur neceſsùm eſt: hæc quippè ſunt viuiſſima teſtimonia Fidei vniuſcuiuſq;, vnde, & veritas Diuina incredulis ſolebat obijcere inconcuſſam operũ Fidem dicens: *Alioquin operibus ipſis credite*: Quod hæc innegabilẽ præſeferant veritatem. Sique fidelè, & bonum Chriſtianũ aſserimus eum, qui Dei, & Eccleſiæ præcepta, prout ſancta fides dictat, obſeruat, & operibus complet; & multo meliorem, maiorique fide imbutum eum, qui eadẽ Dei, & Eccleſiæ præcepta, non modò cùm obligant, ſed ſupererogatoriè, ſæpiùs extra tempus, quo obligant, adimplet, vt eum qui frequentat ieiunia, Eccleſias, Sacramenta, & reliqua pia opera; vtique eum qui per eadem aſſiduè vitam ſuam exerceret, & inſuper ipſa quoque conſilia Chriſti quamquàm perardua, exequeretur, perfectiſſimùm Chriſtianum, heroica Fide fulgentem, neceſsè eſt aſtruamus. Talis etenim quouis momento totis viribus, ad nil aliud attendens, profiteretur de Deǒ quidquid Fides de eo dictat; quædam quidem implicitè, & quædam explicitè. Ex dictis autem,

In ſua Can. cap. 2.

& ex dicendis, Apparitius indefeſſus fuit toto vitæ ſuæ decurſu in quouis genere bonorum operum, & peruigil ad quodlibet Chriſti conſilium exequendum. Nam ſine intermiſsione orauit: imò in oratione pernoctauit; vt perhibent ſeptemdecim teſtes occulati; indeſinentèr Coronam precatoriam manibus contrectans. Inquit verò
Loco præcit. Matth. cap 15. Aug. *Fides fundit orationem, & fuſa oratio fidei imperat firmitatem.* Et Chriſtus Cananeæ magnam Fidem aſseruit, quod non deſtiterit orando. Et Diuus Iacobus, inter pleraque quæ de fide ſalutaritèr tradit, ait, quod Oratio fidei ſaluabit infirmum; hortaturque, vt oremus pro in-
Epiſt. Can. cap. 5. uicem ſi ſaluari cupimus ijs. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Quibus luculentèr patet, orationem altruere Fidem, & aſsiduam Orationem eſse viuiſsimum teſtimonium Fidei heroicæ. Iugi quoque ſui Corporis, & quidem prægraui, afflictatione toto ſui æui curſu prænituit, fermè nec comedendo, nec bibendo, & aſperrimè veſtiendo, potiſſimùm in Religione, flagellis ſeipſum cædendo, excalceatus incedendo, die, noctuque ſub dio aeris quemlibet rigorem, & totalem inclementiam excipiendo alacritèr; vt præfatum eſt capite de Pœnitentia, & Patientia; atqui Pœnitentia eſt noſtræ fidei ad ſalutem ſecunda tabula poſt naufragium, æquiualens Baptiſmo, vnicè ad ſalutem

tem

tem tamquam medium neceſsaria. Igitur hęc eſsentialitèr arguit Fidem, & quidem tanto feruore peracta, non niſi heroicam in Apparitio. Velut enim ignis aurum probat, & perfectius reddit, ita Pœnitentia Fidem Chriſtiani: atteſtantibus Sanctis, Petro Apoſtolo. *In quo exultabitis, modicum nunc, ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus, vt probatio veſtra Fidei, multò pratioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur.* Et idipſum S. Iacobo in ſua Canonica. Quam contriſtationem ad pœnitentiam, ſic igneæ auri probationi aſsimilatam ſummoque feruore peractam, heroicam Fidei probationem haud dubiè arguere cenſendum eſt. Et expreſsiùs à Paulo ibi. *Gaudeo quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Tunc enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

1 Petri cap. 1.

2. ad Corint cap. 7.

84. At quid cenſendum de tot triumphis ſuæ caſtitatis? Sanè hos tàm facilè reuexit eximiæ ſuæ, in Chriſtum, caſtitatis filium, Fidei virtute; cuius nullus in orbe. Hoc enim eſt illud quod inquit Apoſtolus. *Qui captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs, homines corrupti mente, reprobi circa Fidem.* In corruptelam quippè ruere neceſſe eſt reprobum in Fide, quia vigor totius integritatis, vt à proprio fonte emanat à Fide. Vt idipſum repetit idem Apoſtolus. *Omnia munda mundis; coinqui-*

2. ad Thimoth. ca. 4

Ad Titum ca. 1. *natis autem, & infidelibus nihil eſt mundum.* Ac ſi tantum ſit dicere immundum, quantum corruptum in Fide. Et reuerà tales cunctos cernimus hæreticos eſſe. Quare Apparitiũ in bino quoque coniugio caſtiſſimum Virginem, quis abnueret heroiciſſima Fide præpollentem?

85. Et quidem ſummus ille affectus, & intrinſeca propenſio, quibus perenniter rapiebatur in contemplationem Myſteriorum Fidei; vt conteſtantur ſexdecim teſtes de viſu, & Serui Dei familiaritate; non niſi ſummam viuam, fírmam, & inconcuſſam eius Fidem demonſtrant. Talis etenim affectus, & propenſio erga myſteria Fidei, à ſolo habitu iſtius habentur. Et planè tantę Fidei lumine imbutus, cuidam ſpirituali Religioſo documentum aliquod circa Orationem ab eo flagitanti, in ingenti ſpiritus feruore hæc ſuggeſſit: *Solidam, duramque ſerua Fidem velut calybem, & nunquam à Deo oculos auerte.* Quibus sàt clarè aſſeruit, quam ipſe ſeruaret, quamquàm nulla alia euidẽtia eam comprobaſſet. Fides namque in humilitate profitenda, & prædicanda eſt, & non iactanda; prouti apparet in cęleberrimo illo ecſtatico contemplatiuo Fratre Ægydio tertio Seraphici Patris Franciſci ſocio, qui ob creberrimas, nè inquam aſsiduas, ecſtaſes, à pueris quoque, & paſtoribus in vijs, quoties placuit inclamare ad eum: *Paradiſus frater Ægydi, Paradiſus*, experi-

perimento agnitas; & ob beatam gloriæ Paradiſi, ſibi à Chriſto reuelatæ, viſionem, & Dei per hanc intuitiuam agnitionem, ſe iam Fidem de Deo perdidiſſe arbitrabatur; quamobrem à Fratre Andrea, viro probatæ, ſanctæque vitæ, dùm etiam cum Fratre Gratiano, pariter integerrimæ vitæ religioſo, in quadam ſpirituali conuerſatione occuparentur, interrogatus, fors pium quemdam per ludum: *Quid tùm ageret, ſi Sacerdos eſſet, & ſacrum ſolemnitèr canere deberet, in eoque: Credo in vnum Deum, præcinere: Fidem ſic non habens, ſed intuitiuam Dei cognitionem? Oporteret proindè intonare: Cognoſco vnum Deum.* Quibus non nihil in anguſtum arctatus Beatus Ægydius, tamen peralta voce hilaritèr intonat: *Cognoſco vnum Deum, Patrem omnipotentem.* Et protinùs rapitur in ecſtaſim. Sicque non amplius dicto, ſed eiuſmodi prodigioſo facto comprobauit, quam cognitionem Dei haberet. Non quod B. Ægydius reuerà ob hoc habitum, Fidei infuſæ perdidiſſet, vnicè ad ſalutem viatorum neceſſarium; ſed ob frequentes, & fermè aſſiduas, celeberrimas, ne dicam inauditas ecſtaſes, & per has Dei viſionem intuitiuam; id de ſua Fide poſſe dici opinabatur. Sic & Apparitius deuoto ingerens Religioſo: *Duram habeto Fidem, vt calybem in oratione, Deumque ſemper præ oculis.* Sàt clarè oſtendit, quàm ipſemet habuiſſet: congruentèr ad-

Ex Chron. Ord. par. 1. lib. 7. cap. 11.

admodùm ad illud Aug. *Fides fundit orationem, & fuſa oratio Fidei imperat firmitatem.*

86. Signa quoque, & prodigia, etiam primi ordinis, quæ viuus, & defunctus patrauit Apparitius; & inter innumera alia plurimos mortuos reſuſcitando, vinum in vaſculo vacuo creando, vel producendo, cùm illius opus fuit; a pluuijs, & niuibus è Cœlo copiosè decidentibus, vna cùm ſuis bobus, plauſtris, & elemoſinis, quas conuehebat, intactus tranſeundo compluriès; per præcipitia, & fluminum præcipites tranſitus, currum, cui inſidebat, concitatis, per aëra bobus, in aduerſum collem traducendo; cœcis viſum, claudis greſſum, ruptis integritatem reſtituendo; efficax argumentum ſunt magnæ
Marci cap. 16. ſuæ Fidei; ſecundum ea quæ Chriſtus ait: *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et profectò Fidei robore tàm potens ſemper aduerſus dæmones extitit, vt in tot conflictibus, quos cum eo, in forma etiam viſibili inierunt horrendè, ab eo ſuperati, & proſtrati fuerint.
1. Petr. cap. 5. Illis quippè reſiſtere per Fidem docemur: *Aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoraret: cui reſiſtite fortes in fide.*
Ad Epheſ. cap. 6. Et Paulus: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in*

quo

quo poſſitis omnia tela inimici ignea extinguere. Facit ad hoc & illud Chriſti: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti tollere, & mittere in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.* Vbi Ven. Beda poſſe, inquit, hic loco montis dæmonem intelligi, qui ſe conſueuit vt mons aduerſus Deum erigere: licèt reuerà conſtantes, firmique in Fide, veros ipſos montes tali oraculo transferre poſſint, & Apparitius potuerit, ſi neceſſitas poſtulaſſet. Sic namque formalitèr cuidam Deuoto perſuaſit: *habeto Fidem Dei, & ea tollas montes, ſi opus eſt, quocumque libuerit; prouti ego illos tollerem eadem.* Marci cap. 11.

87. Innocentia paritèr vitæ Apparitij, ob quam ipſi, & ferociſſima quæque animalia paruiſſe conſtat; vt ſuo loco afferam; velut & puritas innocua conſcientiæ, quam intemeratè conſeruauit ſemper; teſtimonium ſunt efficax ſuæ magnæ Fidei. In magnitudine etenim Fidei innocentia conſeruatur, & de puritate conſcientiæ dicitur: *Fide purificans corda eorum.* Ingens quoque pietas eius ergà Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum, præcipuum, & admirabile Fidei Myſterium, quo frequentèr reficiebatur, quodque in extrema vitæ periodo, ob vomitum ſumere non valens, proſilens ex lecto ſumma humilitate adorauit; ingentem procùldubio in eo præſup- Actum Apoſt. cap. 15.

ſupponit Fidem, qua vnica totum quod in admirabili hoc Sacramento continetur, & peragitur, creditur, & perficitur. Conſimilitèr profuſa ipſius erga Immaculatam Deigenitricem Virginem Mariam, quæ *Sceptrum Orthodoxæ Fidei* appellatur à S. Cyrillo Alexandrino, *per quem omnis creatura idolorum errore detenta, conuerſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles ad ſanctum Baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ*. Deuotio; coram Altari cuius, in crebras, & diuturnas orationes effundebatur, ſublimis ſuæ Fidei probatio immodica fuit. Velut & frequens recitatio Symboli, quod dum in ipſa extrema linea vitæ à Fratribus concini audiuerat, ſummæ exultationis, & lætitiæ ſigna edidit. Super omnia autem, vt meritò replicem, continuatio bonorum operum, ad quæ totum ſeipſum applicabat, præſertìm diſtribuendo pauperibus, quidquid habere poterat, totius Fidei ſuæ ſumma fuit; & iurè: nam totius noſtræ Fidei robur in bonis operibus conſiſtit; & ſine his ipſa nulla eſt, & ex his ipſa conſumata eſt; vt ex S. Iacobo ſuperius attuli. Quod ipſum & Paulus ad Titum affert: *Fidelis ſermo, & de his volo te confirmare, vt curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo.* Ac ſi nil prodeſſet credere Deo, ſine præeſſe operibus bonis. Et idem Apoſtolus exemplo hoc probat ad Hebræos ſcribens: *Fide plurimam hoſtiam*

Hom. contra Neſtor.

Cap. 3.

Ca. 11.

ſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, & per illam defunctus adhuc loquitur. Vbi Fides Abel opere oblationis conſumata, & perfecta cenſetur, vt & defunctus per eam audiatur. Et conſimile quiddam reperio in noſtro Apparitio, quem dum interdùm Studentes, quod eis, vt aſſueuerat, ſemper aliquos fructus afferre, tunc nil attuliſſet, extenſum idcircò in feretro tumulandum inter caules in horto, quaſi iam defunctum, efferrent, & à Guardiano, quid de eo prætenderent interrogarentur, reſpondiſſentquè, cum iam mortuum humatum ferre; ipſe verò emutiens ad Guardianum, his Fidem obteſtabatur: *Sumnè ego mortuus Pater Guardiane?* Qui, ſi loqueris, inquit, haud quaquam mortuus es. Studentes nihilominus, vt more ipſis proprio, ſaltem ſophiſticè defendant, quod perperàm aſſumunt, replicant confidentèr: *Hic eſt ille qui & defunctus loquitur.* Meo ſenſu innocens Abel, plurimis bonorum operum hoſtijs Deo fidelis, ſic & defunctus loquitur. Denique ſpontè pauperrimus Apparitius, debuit fuiſſe ditiſſimus in Fide, iuxta illud Apoſtoli: *Nonnè Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide.* Iacobi. cap. 2.

CA-

CAPVT XI.

De Spe Apparitij.

88. SPES ſalutis humanæ ſacra anchora, proculdubiò conſtantiſſima fuit in eo, velut & firmiſſima Fides, ex qua neceſſariò quà tali pullulat illa, eſtò actus voluntatis ſit, & Fides intellectus. *Quid enim ſperari poteſt, ait Aug., quod non creditur?* Et infœlix nimis eſſet ille qui non ſperaret illud, quod ſibi ad ſalutem firmitèr crederet. Apagè tamen hunc talem à ſchola Apparitij. Cuius ſalutis, reuerà ſacra anchora Spes in Domino fuit. Siquidem huius virtute tàm conſtantèr mundum, & quæ in eo ſunt abnegauerit. Et cuncta commoda, diuitias quoque, & delicias, blandimenta, & oblectamenta mundi caduca, non niſi infallibili Spe æternorum, à ſe tàm heroico animo protriuerit, ſuumque corpus tanto rigorè mortificauerit, atque tot dificultatibus aliarum virtutum, obedientiæ ſignantèr, ſubiecerit, & exercuerit. Nam ſecundum S. Bernard. *Facilè contemnunt diuitias, qui perfectè ſperant cæleſtia.* Diſpertire quippè diuitias in

In Enchir. cap. 8.

De modo ben. viu. ſer. 46.

in pauperes propter Chriſtum, eſt Spem, non in illis, ſed in Chriſto figere. Et velut talis diſperſio actus proculdubiò heroicus eſt, quia circa obiectum eſt admodùm charũ,(vt vitę)circa quod dificillima elicitur actio diſperſionis; ita & Spes, qua fit eiuſmodi diſperſio, ſine dubio heroica computatur. Et ideo. *Beatus vir qui non ſperauit in pecunia theſauris*. Vti ſanè Apparitius, non ſolùm nil ſperauit in eis, tanta generoſitate eos diſtribuens, verùm & alios quoſcumque commonuit, nè in eis Spem ponerent, ſed velut lutum calcarent, & ſola cœleſtia deſiderarent. Eccleſ. cap. 31.

89. Quoniam autem deſiderium iſtud cœli, ex Spe illud poſſidendi enatum, præ cunctis alijs pijs affectionibus Apparitij potiorem locum obtinet, qui vtpotè dies, noctesque omnes tranſegit in prædulci aſpectu cœlorum, & nullo vnquam momento, nullaque vi potuit ab eorum ſuauiſſima cōtēplatione cohiberi, ea propter in hoc aliquantiſpèr, & mihi fuſiori diſcurſu remorandũ eſt. Cum etenim triplex àSapiētibus, Herois munus aſſignetur; primũ: *Mundũ hunc elementarem infra ſe habere*; ſecundum: benè in cœlũ intueri; & tertium: *hominum genus erudire*; profectò iugis Apparitij cœlorũ intuitus, proprietas eſt herois in eo. Cumque ſubinferat Spē: *Nam Spes eſt expectatio boni ſperati*; & qui aſſiduè intuetur aliquod bonum, proculdubiò expectat eo aliquando potiri; alioquin Henr. Farneſ. Ebur. append. 2. de interpr. verbor. ſub verbo draco. Cic. 4. Tuſc.

ſi deſperaret de illo, nunquam aſpiceret illud; ſequitur quod ex aſſiduo hoc eius cœlorum intuitu Spes ſubillata, ſit heroica; vt cum glorioſo Heröe Dauide dicere iure valeat: *Quoniam tu Domine ſingularitèr in Spe conſtituiſti me*. Niſi quippè ſingularitèr in ſpe fruendi cœleſtibus delicijs conſtitutus fuiſſet a Domino, in cœlorum ſingulari contemplatione, aſſiduus non fuiſſet proſpectu. Quò enim voluntas amandat intuitiuam, eò eam ſequitur Spe, deſiderijs, amore; nec ſecùs conuerſationem ſuam habet in cœlis: quia portio noſtra ſic eſt in terra viuentium, congruentèr ad illud S. Greg. *Spes in æternitatem animum erigit; idcircò, nulla mala, quæ exterius tolerat ſentit*. Vt meritò diceret Apparitius: *Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum*.

Pſal. 4.

Moral. lib. 7. in Iob c. 5

Iſaiæ. cap. 38.

Adeò autem beatus hìc noſter Speculator cœlorum hoc eorum oblectabatur obtutu, vt propterea tecta, & lectos in clauſo, toto ſtudio, etiam noctu, quamquàm ingentibus preſſus morbis, deuitauerit: neque vllius prece, aut affectu, vel deuotione flecti poterat, vt ſaltem ningente, aut pluente cœlo ſub tectum alicuius ſeipſum reciperet; vt de viſu perhibent quinquaginta teſtes. Quinimò dum in extrema vitæ periodo per ſuum Guardianum obedientiæ virtute ad valetudinarij cubiculum transferri adactus fuiſſet, tamdiù inſtitit, vt ſibi panderent proſpectum cœlorum,

quod

quod Guardianus charitate percitus annuerit, quatenùs in tranſitu valetudinarij ergà quamdam feneſtram collocaretur, vndu anhelato cœlorum aſpectu frueretur. Quod niſi ipſi permiſiſſent, vt inquiebat, actutum defeciſſet: Spiritu, ſpequè illius vtique imbutus, qui precabatur. *Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in Verbum tuum ſuperſperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando conſolaberis me.* Nequè enim aliud, quam ſalutare ſuum tàm flagranti affectatione percontabatur in cœlis; tametſi ſciſcitantibus ex eo, quamobrem ſaltem rigente, & imbribus, ac aſtu ſæuiente cœlo ſub tectum non confugeret incolumitatis gratia, reſpondere aſueuerat, *quod habentes bonum Patremfamilias, qui ſuos tegumento communi egregiè tegit, & protegit, non deberent eſſe ſoliciti de alio operimento, aut tecto; cæterò, ſplendeſcente cælo, quis poſſet ab aſpectu illius adimi, & venuſtatum ſuarum, quibus nil par in mundo, ſpectator non eſſe. En*, inquiebat, *quàm ornatum eſt, & formoſum, & quam crebris luminibus micet! Quis me ſeparabit à contemplatione ipſius? Quod tandem clementia Diuina ſcandere firmitèr confido.* Enquè *virum verè rerum ſuperarum, atque cæleſtium* ſperatorem, vel etiam, vt inquiebat Cicero, *Spectatorem.*

90. Quia ergo hic erat totalis finis illius, tandem ad beatas Cœli ſcandere ſedes, facilè aſ-

ſentio, cum intantum exarſiſſe proſpectu ergà cœlos, vnde tantum bonum præſtolabatur, iuxta illud. *Spes enim illorum in ſaluantem eos.* Illùc proſpectant ſaluandi, vndè ſalutem expectant. nec latet duas eſſe viatorum vitas. Actiuam, & contémplatiuam. Vtramque verò ſpe vnicè ſubnixam. Hanc per vnionem animæ ordinatam in æternam vitam. Illam per ſancta exercitia corporis. Vtriuſque robur, & vis omnis, atque efficacia à ſpe. Quidquid enim boni agitur, & quidquid meditatur, totum pròpter ſpem vitæ æternæ. Hinc eſt quod glorioſiſſimus Rex Dauid, vtraque ea vita excellentiſſimus, totam ſuam fœlicitatem, & beatitudinem ſpei ſuæ attribuens, nil ea tutius, nil vtilius, nil ſanctius reputabat. In ea hoſtes ſtrauit, in ea euitauit ſemper. In ea exaltatus eſt, in ea & cadens erectus. Denique in tot, tantiſque aduerſis, quando cor robuſtiſſimo cuique concidiſſet, & deſperationi obnoxium fieret, ſpem in ſaluantē ſe figens triumphauit; atque ideo Sanctiſſimam illam vitam in mera ſpe in Domino tranſactam, tot inſignibus victorijs, illuſtrauit, & tanta fœlicitate ditauit. Ob hoc prædulces illæ voces illius in ſpei laudem frequentius quàm aliæ vllæ in Pſalmis repetitæ, nec immeritò à nobis repetendæ; Signantèr autem illæ. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliniquis quærentes te* Pſal. 9.
Do-

Domine. Ego autem in miſericordia tua ſperaui. Pſal 12
Conſerua me Domine quoniam ſperaui in te. In Pſal.15
Domino ſperans non infirmabor. In te ſperauerunt Pſal.25
patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos. In te Pſal.21
ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Si exurgat aduer- Pſal.26
ſum me prælium, in hoc ego ſperabo. In ipſo ſpera- Pſal.27
uit cor meum, & adiutus ſum. In te Domine ſpe- Pſal.30
raui, non confundar in æternum. Sperantem autem
in Domino miſericordia circumdabit. Beatus vir Pſal.31
qui ſperat in eo. Et non derelinquent omnes qui ſpe- Pſal.33
rant in eo. Spera in Domino, & fac bonitatem, & Pſal.36
inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Et ad-
iuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos
à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in Pſal.37
eo. Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies
me Domine Deus meus. Ego autem ſicut oliua fruc-
tifera in Domo Dei, ſperaui in miſericordia diei in Pſal.51
æternum, & in ſæculum ſæculi. Ab altitudine Dei Pſal.55
timebo: ego verò in te ſperabo. In Deo ſperaui, non
timebo quid faciat mihi caro. In Deo ſperaui non ti- Pſal.56
mebo quid faciat mihi homo. Et in vmbra alarum Pſal.61
tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas, ſperate in
eo omnis congregatio populi. Letabitur iuſtus in Do- Pſal.63
mino, & ſperabit in eo.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter; ſpes omnium Pſal.64
finium terræ, & in mari longè.

Defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. Pſal 68
In te Domine ſperaui non confundar in æternum. Pſal.70

Ego

Ego autem ſemper ſperabo, & adijciam ſuper omnem laudem tuam.

Pſal.72 *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt; ponere in Domino Deo ſpem meam.*

Pſal.77 *Vt ponant in Deo ſpem ſuam. Ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael: Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Et deduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.*

Pſ.129. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino.*

Pſ.130 *Speret Iſrael in Domino ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.*

Pſal. 4. *Quoniam tu Domine ſingularitèr in ſpe, conſtituiſti me.*

Pſal.90 *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum.*

Et quis poſſet huiuſmodi compendio perſtringere alias ſacras illius gnomas, Spei equipollentes, per fiduciam, & in Deum tendentiam percantatas? Cum vix verſus detur, qui quid ſimile ſpei, vel æquiualens ei, non afferret. Vt indubitatum ſit, vitam ipſius, tanto gloriæ ſplendore illuſtratam, virtute ineffabilis Spei illius in Domino.

91. Vtque noſtri Apparitij ſpem in Domino ex perenni hoc eius contuitu cœlorum exactiùs perſcriberem, nil aliud aptiùs aſſumere viſum eſt, quàm Dauidicam hanc virtutem, tantis

ab eo commendatam præcibus Velut namque Sanctus Rex totum glorioſæ ſuæ vitæ profectum in ſpe perpetua conſtituerat, ita & Ven. Seruus Dei; vt per ſingula, quæ de eo referuntur, diſcurrenti, affluentèr, & perſpicuè patet.

92. Hacque cœleſti penu, ſpei nempè, vbique, & ſemper ſuffultus; ardua quæque, peculiaritèr itinera, per loca abrupta, ſalebroſa, & inuia conficiendo, omni humano ſuffragio penitùs deſtitutus,in omnium extrema penuria, exultans, & gaudens, vnus ex ijs de quibus dicitur: *Spe gaudentes*, ſuperauit: ab Angelis, vt ſuo loco enarrabitur, victu cibi, ac potus, cæteriſque adminiculis prouiſus, quotieſcumque indiguit,conuenientèr ad illud: *In ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum. Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in diuitijs eius*; vt prætuli de ſpe Dauidis. Quam denique verè Virtutum virtutem, ſpem ſuam, quibuſdam præclaris, quæ paulò ante obitum pijſſimè pronuntiauit, ſtrenuè aſſeruit. Explorantibus quippè ab eo tunc quàm rectè ſentiret de Deo, & ſi quid metueret ab hoſte; confidentèr reſpondit: *Ego, & Deus, iam pridem veterani amici ſumus. Et Satanas nil habet aduerſus me,quia victus iam profugit.* Et hoc eſt illud quod de tali dicitur: *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Et Beatus Ægydius aſſerere conſueuerat: *Qui verè in Domino ſperat, nullum hoſtem metuit;*

Ad Rõ. cap. 12.

Prouer cap 28.

Et

Ex Chron. O. din. Mir. or. parte 1. lib. 7. cap. 23. *Et qui de ſupremo illo, & æterno bono deſperat, nullum bonum ei prodeſſe poteſt.* Et potentiſſimus Spei dictator Dauid: *Quoniam in me ſperauit liberabo eum. A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Pſal. 90

93. Oratio quoque ab eo ſine intermiſſione fuſa; Pœnitentia toto ſuæ vitæ æuo ſumma auſteritate peracta; fuga peccati, præſertìm carnalis, quod ſuper omnia peroſus eſt, & ſolemnes victoriæ, quas ſuper eo reuexit; innocentia vitæ, ob quam ſibi, & ferociſſima quæque bruta ſe ſubdiderunt; virtus tot, & tàm grandia patrandi miracula; ac potiſſimum firma, viua, & conſtans totius vitæ inhærenta bonis operibus, & exercitio virtutum, quæ in eo heroicè reſplenduerunt; non niſi heroicam ſpem eius demonſtrant. Siquidem aſſiduitas, cum tanto feruore virtutum, piorumque operum, de mente omnium Theologorum, heroicitatem earum aſtruat.

CA-

CAPVT XII.

De Charitate Apparitij ergà Deum.

94. PRINCEPS cunctarum virtutũ Charitas, adeò hunc Virum Dei toto vitæ ſuæ decurſu, præcipuè autem annis, quibus eam in Religione tranſegit, inflammauerat, vt cor ipſius amoris Diuini ignifluum, vel ſatiùs cœleſte quoddam igniarium appareret, cuius ardor nullis vnquam, eſtò duriſſimarum occupationum procellis reſtingui, nulliſuè exercitijs, quamquàm perarduis, & multiformibus obedientiæ, ſupprimi, nec vllis conſuetudinibus humanis diſtrahi, aut actitationibus imminui potuit: iugi dumtaxàt cœleſtium incendio flagrans, quamuis corporalitèr per terram incederet. Quod vtique tantus ipſius zelus honoris Diuini, & facta, Charitate ergà Deum flammãtia impenſiùs comprobant, Chriſti teſtimonio, qui ait: *Si quis diligit me, Sermonem meum ſeruabit.* Quod interpretans D. Greg. eodem ſenſu inquit: Probatio dilectionis exibitio eſt operis. Cum dilectio Dei, ſit actus ſpiritualis, voluntati, cuius eſt, immanens, conſtare alteri

Ioan. cap. 14. hom. 30. in Euang.

M non

non poteſt, niſi per actus potentiarum exteriorum, quarum ſunt opera, quæ cadunt ſub ſenſu; Et ideò, opus probat dilectionem, ad quod hæc ordinatur. Hocque ipſum Chriſtus crebriùs repetit inculcans: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Qui mandata mea ſeruat, ille eſt, qui diligit me.*
Ibid. 21 Vnde S. Bonau. de ſept. itiner. ætern. itin. 4. diſt. 4. art. 2. de ſignis Charitatis iam roboratæ aſſerit: *Quartum ſignum Charitatis eſt ſtudioſa mandatorum Dei obſeruatio. Ratio huius ſigni eſt, quia obſeruatio mandatorum verè ſine Charitate fieri non poteſt.* Et S. Hieronymus in cap. 15. Ioan. cap. 6. inquit: *Dei præcepta cuſtodiens efficitur Filius Dei.*

95. Singularis proindè zelus ille, quo Seruus Dei ab infantia exarsit ad exactam cuſtodiam præceptorum Dei, infert in eo filialem dilectionem Dei, eamque ſummam, quod quo prouectior ætate, eò perfectior obſeruantia eorundem Diuinorum præceptorum euaſerit, & tandem in arctiſſimo ſtatu Seraphicæ Religionis perfectiſſimus; in quo ſupererogatoriè, & Diuina conſilia adamuſsim adimpleuit: quinimò, vt & alij adimplerent, totis viribus ſategit; vt conteſtantur ſexdecim teſtes de viſu. Hinc eſt, quod nullas Dei offenſas non reprehendiſſet, diſcretè tamen, & humilitèr. Nam dum quemdam ſui Inſtituti confratrem, pecuniam in Regulæ ignominiam contrectare vidiſſet, piaculum grande, & nefas maxi-

ximum illi fortitèr objecit, licèt ab eo propterea non nihil improperijs, & contumelijs impetitus fuiſſet. Adeò autem in repræhenſionibus eiuſmodi inferueſcebat, vt verba, quibus vtebatur, propter efficaciam reducendi qualẽcumque perſonam à via veritatis deuiantem, cœlitùs dictata credebantur: quibus coniungebat opera, ad amorem Dei cunctos inflammantia; vt perennem Orationem in quouis loco, ac tempore. Oratio autem teſte Chriſoſtomo *eſt magni amoris indicium*: quia ſecundum Damaſcenum *eſt aſcenſus mentis in Deum*. Et quo frequentiùs quis tendit in Deum mente, procùl dubio feruentiùs illlum amat: ibi enim fixiùs affigimur amore, vbi firmiùs detinemur cogitatione. Aſſiduam quoque cœleſtiũ contemplationẽ. Nam hæc nõ poteſt fieri niſi obiecti chari, & valdè conuenientis voluntati, conſequentèr, & oppidò amati ab ea. Idcircò Chriſtus Magdalenam optimam partem elegiſſe aſſerit, quia dum Martha in actiua, illa in contemplatiua occupabatur, quæ ſolo amore perficitur; quamobrem, & teſtificatur de illa: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Vt iure ex hoc inferri poſſit, quod & Apparitius multùm dilexerit, quod pulchritudinem cœlorum, & conditoris eorum multùm, imò, aſſiduè contemplatus fuerit; eorumque amore integras noctes extra tecta contemplando inſumpſerit, illùc enim

Sup. act. Apoſt. cap. 11. hõ. 26. Lib. 5. de fide Ortho. cap. 24.

oculi diriguntur, vbi cor amat. Potiſſimùm verò quod iugis contemplatio hæc bonitatis Diuinæ ecſtaſim faciat, quæ ecſtaſis originem habet ab ardenti amore teſte Sancto Dyoniſio; vt luculentèr liquet in admirabili Ecſtatico illo Seraphici patris Socio Fratre Ægydio, cuius creberrimæ ecſtaſes enatæ ſunt ex perpetuà contemplatione, & ingenti amore Ieſu Chriſti, & cœleſtis gloriæ. Ad quod propoſitum apprimè conducit quod de eo refertur in Chronicis Religionis, quod nempè Sanctum Bonauenturam ſuum Miniſtrum Generalem ſemèl huiuſcemodi Sermone allocutus fuerit: *Vobis Pater, Eruditis, ac Scientificis Dominus ab alto plurimas gratias contulit, quibus eum glorificare, & laudare poteſtis; at nos Idiota, atque illiterati, nullā habentes ſufficientiā, quid agere poterimus, vt ſaluari poſſimus?* Cui S. Bonauentura periucundè annuens hæc ſuggeſſit: *Et ſi Deus aliam nullam gratiam hominibus præſtitiſſet, quam quod eum amare poſſent, abundè ſufficeret eis ad ſalutem. At,* ſubiunxit Frater Ægidius: *Obſecro Pater, an poſſit quis illiteratus tantùm amare Ieſum Chriſtum, quantùm vir doctus? Poteſt,* reſpondit S. Doctor, *ſimplex anicula plus Dominum Noſtrum amare, quàm qualiſcumque Magiſter Theologiæ.* Ad quæ Frater Ægidius feruore imbutus conſurgens, in hortum exiluit, & conuerſus ad Ciuitatem præalta voce ſucclamauit: *Anicula pau-*

Parte 1. lib. 7. cap. 14. in vita eiuſdē.

per-

percula, ſimplex, & idiota amet, ama tuum Dominum, & poteris eſſe maior, quàm Frater Bonauentura. Quibus prolatis,in ecſtaſim trium horarum raptus fuit, prodigioque tanto dilucidè probauit, quòd contemplatio aſſidua amorem, & amor ecſtasìm cauſet: qui cum ſenſuum vires ſuperet, vtique vehemens eſſe debet. Vt nulli dubium ſit, & Apparitium ex tàm intenta contemplatione cœleſtis patriæ ecſtaſes, prouti hoc ipſum plures de viſu perhibent teſtes, ſubijſſe, & conſequentèr Diuinam bonitatem plurimùm dilexiſſe. Crebra item, & copioſa de Deo Apparitij colloquia,Dei proculdubiò eximium in eo amorem commonſtrant. *Ex abundantia* quippè *cordis os loquitur*. Vtque ait S. Chryſoſtomus: *Hic mos amantium eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant, ſed charis ſuis efferant, & prodant flammas ſuas*. Hac de cauſa reuelauit quædam allegato ſibi amore Dei, quæ hactenus humilitatis gratia nulli prorsùs prodere voluit. Et nulli vnquam denegauit flagitatum pro amore Dei. Quo factum, vt & ipſi quidam Indus gratìs, ac ſolo amore Dei inſeruierit duobus annis cum dimidio, ſanctèque hoc eius exemplo obierit: cum alìàs Indi naturalitèr parùm, aut nihil omninò abſque ſtipendio præſtent ſeruitiorum vlli. Et quamuis totis viribus deſudabat operando pro amore Dei,adhuc tamen ſub veſperū inquiebat,quomodo potero quieſcere hac nocte, vix aliquid operatus pro amore Dei.

Lucæ cap.6. relat. à S. Antonino in ſum. p. 4. tit 6. c.2. § 7.

Inno-

96. Innocentia paritèr vitæ, & puritas cordis Apparirij, ſublimem amorem illius ſuæ Diuinæ Maieſtatis, præclarè manifeſtat. Quandoquidem ipſe Apoſtolus dicat: *Finis autem præcepti eſt Charitas de corde puro.* Et eo magis, quod innocentia hæc ipſius inſigni ſimplicitate refulgebat, iuxta teſtimonium quatuordecim oculatorũ teſtiũ. Apoſtolus verò ad perfectionem amoris Dei, requirit talem ſimplicitatem, dum ait: *Qui tribuit, in ſimplicitate, Dilectio enim eſſe debet ſine ſimulatione.*

1. Ad Thim. cap. 1.

Ad Roman. c. 12.

Verùm tantus horror peccati, quo Seruus Dei, præſertìm carnis illecebras abhorrebat, tantuſque amor caſtitatis, quam & in bino matrimonio vnacùm coniugibus virginalem conſeruauit, vnde dimanaſſet, quàm à longè fortiori amore Diuino, qui ſolus eſt cęterorum ſpiritualium amorum fons, & origo. Quinimó cum heroica virtus virginitas ſolo amore Diuino eligatur à profeſſoribus ſuis, quantus hic fuerit in Apparitio, bis virgine, de ſe patet. Cuius ſolius ſtimulis, piè exultando, & Deo gratias agendo referrebat, quod duas candidas Domino, duas vtpotè ſponſas virgines, procreauerit colũbas. Et amor ipſe, quo Deus caſtos, & potiſſimùm Virgines, præ cæteris electis ſuis diligit, vt de Ioanne Euangeliſta legitur: *Diligebat eum Ieſus, quia ſpecialis prærogatiua caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum*: non niſi in Caſto, & Virgine Apparitio, ſingularem Dei dilectionem arguit. Nam diligentes ſe Deus diligit;

git; iuxta illud Chriſti: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Denique vis ingentis Diuini amoris ſoliùs, potuit in Apparitio ſupprimere tàm vehementia carnalis incentiua amoris erga ſolicitantes ad nefarium facinus heras, & eò potius ergà proprias coniuges ad actus coniugales. Cum enim ſenſus humani ex natura ſua procliues ſint ad carnalia, ab his circa obiecta præſentia, & conuenientia, præcipuè ſi tales vrgent circumſtantiæ, cohiberi nequeunt ſeipſis. Dum ergo cohibentur, vis eſt amoris ſupernaturalis; ſecundùm illud, quod Sancti Ambroſius, & Anſelmus dictant: *Animus, mens, amorque viri coniugati debent magis in Domino, quàm in vxore conſtabiliri.* Quod ſecùs fieri nequit, quàm Domini maiori amore.

Ioann. cap. 14.

In 1. ad Cor. 4.

97. Et ſanè non mediocris amor Dei cenſendus eſt ille, quo cunctas ſuas facultates ad præſcriptum Sancti Euangelij pauperibus diſtribuit, & ſe omnium pauperrimum in Seraphico Inſtituto reddidit, vti nec ille, quo tàm diſtrictam toto vitę decurſu, & ſignantèr poſtquàm Seraphici Patris habitum aſſumpſit, pœnitentiam peregit; ſed ſicuti Euangelium lex perfectiſſima eſt, Gratiæ, & Charitatis nuncupata, ita & talis vita ad normam illius inita perfectiſſimi Diuini amoris eſt; & quò ſub ea pœnitentia acrior, eò amor quo peragitur intenſior. *Pœna enim*, inquit Greg. *probat quàm*

quis

In Moral. li. c. de morib. Eccleſ. ca. 22.

quis veraciter amet; & Auguſt. *Amoris igne, ferrea, atque dura vincuntur; & laborem grauem facilem reddit amor*. Vt planè amor ille Seraphicus, quo Apparitius arſit, euincere potuit tot cruciatus, ex quacumque cœli inclementia, quam perpetuò in ſe excipiebat, prouenientes, & ſimul ieiunia ſtrictiſſima, œuiternaque, morbos acutiſſimos, vt herniæ, & eiuſmodi; immerſiones ſtagnis gelidis, tùm perſonæ, cùm habitus, quem cœlo rigente induebat; aſſiduas corporis cruentationes, nedùm per duriſsimum vecturarum officium, & per inceſſantia itinera in locis ſalebroſis, & ſaxoſis, ac ſpinoſis facta, cauſatas, verùmet per frequentes eiuſdem ſpontaneas flagellationes; aliaquè irrequieta incommoda, & congeminati labores, qui tandem ferrum ipſum, & omne duriſsimum metallum conſumpſiſſent, ipſum verò fortiorem ſemper, & promptiorem ad quæuis attrociora pro gloria Dei ſufferenda reddiderunt. Quod totum ingenuè aſtruo ex ijs, quæ Seruus Dei cuidam familiari Religioſo aſſeruit, ipſum certum reddens, quod vi ſolius amoris Diuini ſuſtuliſſet tot laborioſas corporis extenuationes, & preſſuras; quarum atrocitatem, inquiebat, impoſſibile fuiſſet ſecùs ſufferre: cum in toto corpore membrum non habuiſſet, quod earum doloribus non premeretur; quin etiam ipſi capilli capitis, ſorte gelu, glacieuè concreti, aut luto, & pulue-

ueribus oppleti, ipſum non nihil afflictaſſent: Quia certum eſt, quod *Amoris igne, ferrea, & dura quæque vincuntur, & laborem grauem, facilem reddit amor*. Quod confirmat Paulus: *Quis nos ſeparabit à Charitate Christi? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Sicut ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die, &c.* Vt ex hoc vnico, quod amore Dei mundum, & quæ in eo poſſedit abnegauerit, ſeque tàm arduæ mortificationi ampliùs quam pernonaginta annos ſubiecerit, euidentiſſimè Seraphicus amor illius elucefcat, ac heroicus dici poſſit. Equidem ſuperius de ſpe fatum eſt, mundum hunc infra ſe ſtatuere, quod ſolo Diuino fit amore, primum herois munus eſſe.

98. Cæterùm Apparitium præcipuo amore Deum dilexiſſe inde conijce, quod vna hora antequam ab hac vita exceſſiſſet, ſuo Guardiano affirmauerit, *eum tanto Dei amore inardeſcere, ſemperque intentiùs optare inflammari, vt ſi occaſio daretur, expediretque, milliès pro ſuo honore, & gloria, mortem oppoteret: neque alia cauſa, quàm ſolius amoris ipſius, ſe immodicè toto ſuo æuo proprium corpus afflixerit*: Conformitèr ad illud Pauli: *Memores operis fidei, laboris, & charitatis, ac ſuſtinentiæ ſpei Domini Noſtri Ieſu Chriſti*.

Ergà Proximum.

99. CHARITAS ergo in ſe *eſt*, vt docet
ad Coloſſ. ca. 3. Apoſtolus, *vinculum perfectionis*,
nilque boni, nil perfectionis, nil virtutis eſt ſine
Ad Corinth; cap 13. illa. *Nunc enim manent Fides, Spes, Charitas; maior autem horum eſt Charitas. Nam Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*. In qua ſecunda deſcriptione, vt proximum concernit ſumitur, erga quem omnis il-
Ad Rō. 5. Ioan. Epiſt. cap. 4. lius effectus ordinatur. Commendat enim Deus Charitatem ſuam in nobis, vt ipſum diligamus, & nos inuicem, quoniam ipſe prior dilexit nos. Si ergo Charitas Dei ad nos eſt, noſtra quoque Charitas ad nos inuicem eſſe debet, vt Charitas Dei ſit, & dilectio proximi dilectio Dei dicatur. Et idcircò *qui diligit proximum legem impleuit*, quia
Ibidem cap. 13. in eo, & Deum diligit; cum in his duobus dilectionis præceptis, Dei ſcilicèt, & proximi, tota lex pendeat, & Prophetæ, quia *plenitudo legis eſt dilectio*. Ob hoc Deum Apparitius perfectiſſimis quibus vis operibus, & vita planè Seraphica diligens, proximum quoque Seraphica Charitate

dile-

dilexit. Nam *Si diligis me, ò Petre, paſce*, inquit, *oues meas*. Et maximo in lege dilectionis Dei mandato, illicò aliud ſimile, dilectionis nempè proximi, ſubiungitur, vt implens illud, nequaquam incurius ſit adimplendi iſtud.

100. Et quidem Charitas illa, quam Seruus Dei ad profectum Chichimecorum, cunctorumque inopum in itineratione Zacatecenſi operatus eſt adhuc ſæcularis exiſtens, ſuo loco fusè conſtitit, vna cùm illa, quam ſolemni Donatione inter viuos vniuerſorum ſuorum Bonorum, & Capitalium, erga Monaſterium Sanctimonialium S. Claræ Mexici exercuit, ſupremis, ampliſſimiſque encomijs laudum perpetuò commemoranda.

101. Aſſumpto verò habitu Religionis, quamquàm nil poſſederit omninò quod erogare potuiſſet, nihilominùs Diuinum hoc munus Charitatis, ſeù Miſericordiæ, non modò nequaquam depoſuit, verùm, & quantum viro perfecto licuit, omni ex parte auxit, viſcera Miſericordiæ, totis præcordiorum affectibus accumulans erga cuiuſuis rationis inopes; quibus extremè compatiebatur, & ſubuenire, quantum poterat, ſatagebat: nihil vlli denegans, quod ab eo amore Dei flagitabatur. Quamobrem nunquam diù pallium detulit, quod ei ſuperior ſubminiſtrabat, ſed primo pauperi illud, expoſcenti totum, non partem vt S. Martinus, largiebatur. Sic & pileum, & ha-

bitum ipſum pro amore Dei donabat. Cumque à Superiore quod ſic ageret repræhenderetur, vtque ab eiuſmodi largitionibus præcaueret, ſub animaduerſione ſeuera inhiberetur, dicere auditus eſt: *Etſi immodico percuſſu, alijſque quibuſuis animaduirſion bus me afflixerit, nunquam intermittam pro amore Dei diſtribuere quod à me flagitatum fuerit.* Porrò eidem Superiori veſtimenta erogandi vetanti paruit, attamen dum ab egente ea ſibi amore Dei poſtularentur, ingenioſo erga eum amore commotus dicebat, obedientiæ virtute non licere ea ipſi deinceps largiri, verùmtamen ſi vi detrahere, & auferre placeret, is nequaquam reſiſteret: ſiquidem hoc ei à ſuperiore minimè iniunctum fuiſſet. Ea propter ordinariè ad Conuentum redibat abſque pileo, & pallio, & interdùm abſque chorda, & habitu: his datis, vel ſine renitentia ei ablatis, pro amore Dei.

102. In ſuis quoque Mendicationibus eleemoſinarum, quas diſcretè, prudenterque peragebat, à diuitibus tantum; prætermiſſis pauperibus, eaſdem depoſcendo, Charitatis, & Miſericordiæ ſigna immodica demonſtrauit: nunc apud eoſdem opulentos conquirendo ea quibus, ſui inopes egebant, eademque ad eos comportando; nunc ex Conuentu ipſo quidquid extrahere pro ijſdem licebat, vt panem, carnes, piſces, olera, fructus, frumentum indicum, leguminaque

que in eos partiendo. Celebri autem reflexione memorandum, quod dum ſua plauſtra tritico, frumento indico, & leguminibus onuſta, ad Conuentum reuehebat, quotquot egenos, pro elemoſina obſecrantes occurrentes habebat, munifica ſubuentione cunctos, omnium, quæ plauſtris gerebat, refouebat: nedùm nil prorsùs per hoc imminutis eiſdem elemoſinis, ſed potiùs multo plus auctis, & ad centum ferè Religioſorum, totidemque aliorum pauperum, quos Conuentus Angelopolis alere conſueuit, ſuſtentationem ſufficientibus redditis. Aſueuerat nil minùs ſuorum benefactorum quæſtu ſingulari ſuſtentare nonnullas mulierculas, ſaltem nè ſecùs Deum offenderent.

103. Et cum nil de rebus ante latis, vt tritici, frumenti, leguminum, panis, habitus, pallij, pilei, aut alterius cuiuslibet, quæ obulum valeret, ſupereſſet, tunc dabat, vt S. Petrus, & S. Didacus, in Nomine Ieſu Nazareni, quod habebat, lacrymas nempè compaſſionis, & verba conſolationis, quæ illis fiebant prodigioſa ſuffragia ſalutis, & alimenti. Cuidam pauperi de Guaxocingo ſubuenit vno caniſtro panis recentis, & calidi, à Deo miſſi per manus Angelorum. Ab inſeminatis quorumdam inopum bis ſuis precibus grandines abegit. Aliud inſeminatum, quod iam aruerat, reuireſcere effecit. Et mirè accreuit ſata, ac collectu-

lecturas cæterorum. Erga infirmos erat adeò propenſus, vt nil ſibi chariùs vederetur, quàm illis miniſtrare, & eorum ſeruitijs mancipari; nequà ab eis recedebat, niſi cum ſumma dificultate, poſtquam eoſdem ſuauiſsimis, & zelantiſsimis verbis conſolabatur. Sua chorda attactu malè valentium, erat pharmacum vniuerſale curatiuum quorumlibet morborum, nunquam deſiſtens ab operatione prodigiorum. Vt autem inquit S. Thom.

Opuſc. 18. c. 14. *Huiuſmodi bonorum collatio, ad ſingularem quamdam perfectionem pertinet fraternæ dilectionis, quia per hæc bona homo vltimo ſieni coniungitur, in quo ſumma perfectio conſiſtit*. Et de quam plurimis iſtiuſmodi bonorum Apparitij collationibus has dumtaxàt ſpecificare placuit. Vtpotè quod cuiuſdam inopis quidem, ſed honeſti viri totam familiam ordinariè ſuſtentauerat, in ſæculo adhuc exiſtens; vtque tres filias honeſtè elocaret, ipſi magni Nicolai Epiſcopi exemplo ſufficientem pecuniam ſubminiſtrauerat. Et prætereа poſt mortem ipſius, omne debitum, quod pluriès ab eo mutuata pecunia, contraxerat, ſuæ vxori dimiſit, propria manu coram Notario ſchedas debiti diſcerpens, & ſe ſatisfactum publicè declarans. Dumque alium quemdam vicinum ſuum, & amicum, per plateas Mexicanas ad carceres pro debito trium millium numorum de octo duci conſpexiſſet, protinùs ad eum accurens, indagare

gare cœpit, quid cauſæ eſſet, quod tàm indignè tractaretur? Pro debito reſpondit vicinus: *Ego illud ſoluam, ſubiunxit Apparitius: ductores dimittite virum.* Nilque cunctando iudicem adit, & amicum eliberat, debitam pecuniam, Dei amore, pro illo, vxore, & prolibus grauato, cæterùmque nil habente, perſoluens. Amicus reuerà, qui vbi tanta pecunia pendenda eſt pluris amici commodum, famam, & honorem, quam illam æſtimauit: Eſtò & alijs quibuſuis modis proximi famam, vt propriam vitam tuitus fuerit, non modò de nemine ſiniſtrè vnquam iudicans, ſed expreſsè, aut defectus aliorum excuſans, aut quantum licebat vitam eorum commendans; planè vt monebat S. Bernardus: *Proximi tui excuſa intentionem; ſi non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum.* Neque in eum præcipites temeraria iudicia. Ser. 40. ſuper Cant.

104. Ergo Diuino hoc perfectionis vinculo, Charitate nimirum, qua, vt ait Auguſt. *Nil pretioſius, nil vtilius, nil ſecurius: cum ſine ea nil cætera dona proſint, & cum ea proſint omnia.* Vinctus totus in Domino Apparitius, erga Deum, & Proximum totus exarſit, & in plenitudine legis perfectus obſeruator euaſit. Sancti Ioannis Apoſtoli, qui interminantèr hortabatur: *Filioli diligite alterutrum, quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Et Deus Charitas eſt, & qui manet in* L.b. 3. de verb Domi. ſer. 13. 1. Ioan. cap. 4.

Cha-

Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et pariter *Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt*: opere, & veritate Diſcipulus.

CAPVT XIII.

De Iuſtitia Apparitij.

105. IVSTITIA communis eſt virtus, & *præclariſſima virtutum, neque heſperus neque lucifer ita admirabilis*, vt inquit Ariſt. Sumpta verò in communi idē eſt, quod æquitas, & legitimum, dictans omne id, quod eſt conforme rectæ rationi; & ſic comprehendit in ſe omnes virtutes, quia omnes tendunt in id, quod æquum eſt, ac legitimum, rectæque rationi conueniens. At in particulari accepta, eſt virtus, quæ verſatur circa lucrum, & damnum in actionibus humanis, & in contractibus hominum præſertim. Sicque capta eſt vna de quatuor Virtutibus Cardinalibus, & communitèr definitur, quod ſit virtus dictans *conſtanti, & perpetua voluntate tribuendi cuique quod ſuum eſt.* Et hæc diuiditur in diſtributiuam,

5. Ethic

Ex Ariſtot. cit. cap. 6. & 8.

&

& commutatiuam. Prima eſt virtus, quæ dictat diſtribuendas eſſe perfectiones, vt bona, honores, pecunias, & huiuſmodi, hominibus conuenientes iuxta proportionem, qua vnus alterum excedit valore in aliqua ſocietate. V. g. Achillis perſona in Repub. digna eſt vt duodecim, Aiacis vt ſex. Ergo dignitas duplo maior tribuenda Achilli, quàm Aiaci, per iuſtitiam diſtributiuam. Secunda eſt virtus dictans rectitudinem in contractibus, & commèrcijs humanis. Ad hæc enim tantùm ſe extendit emendanda, & corrigenda. Vt qui vendit rem valentem decem, pro ea nequeat plus quàm decem accipere. Et in contractibus inuitis, aliquis furatus eſt decem, debet reddere decem; ſecundum hanc iuſtitiam; ad quam Scotus, reducit, & præmiationem meritorum, ac punitionem demeritorum, fundatus in eo quod Ariſt. citatus exemplificat de mercede conducto.

In 4. d. 46. q. 1. art. 1.

Cap. 2.

106. Porrò cum hæc virtus proxima ſit Charitati, & in ea Charitas potiſſimùm refulgeat, nil mirum, quod ſtet pro ratione Sanctitatis hominum, vt qui iuſtus eſt, Sanctus ſit, & pro Sancto colatur, cœlum poſſeſſurus: velut per Pſalmiſtam Spiritus Sanctus teſtatur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam*. Hinc eſt quod & ad canonizandum quempiam Sanctum, virtus Iuſtitiæ ipſius potiſſimùm

perſcrutetur, iuxta ea quæ tradit Scacch. huiuſmodi ſermone: *In actis Piorum virorum, ac Seruorum Dei de quorum canonizatione agitur, examinandi ſunt actus virtutum, ad Iuſtitiam pertinentium, ſiue tanquam partes potentiales, ſiue ſubiectiuæ; ſiue integrales; præſertim quatenùs ab ipſis Seruis Dei ordinati fuerint ad finem ſupernaturalem; non ſolùm vt ex frequentibus actibus, & exercitio virtutum prædictarum, Iuſtitiæ habitus in canonizando recognoſcatur; ſed etiam vt ex fine ſupernaturali eiuſdem habitus, intentio, & gradus heroicus virtutis, qui præcisè requiritur in Beatificandis, & Canonizandis, manifeſtus appareat: hac enim ratione perfectæ Iuſtitiæ rationes in illorum actis cognoſcentur, & Iuſtitiæ habitus Seruos Dei habuiſſe, perſpicuum erit.* Idcircò viſo iam proximè de Seraphica Charitate Apparitij, qua is in Deum, & proximum flammeſcens apparuit, de Iuſtitia ipſius libet immediatè, quæ ſequuntur ſubdere.

De not. & ſign. ſanctit. ſect. 4. cap. 2.

107. Cum autem præcipua iſtiuſmodi Iuſtitiæ Species ſit Religio, quæ dictat Deo reddenda quæ Dei ſunt, quoad cultum ipſi debitum, Chriſto id palàm dicente: *Reddite ergo quæ Dei ſunt Deo, & quæ Cæſaris Cæſari*, & capite de Fide affluentèr patuerit Apparitium Religione, tàm Chriſtiana, ſæcularem adhuc exiſtentem, quàm Seraphica, quæ non modò præcepta, ſed & conſilia Diuina adimplenda ſeraphica Charitate, dic-

tat, obſeruantiſſimum extitiſſe: quinimò tàm ipſa præcepta, quàm conſilia Diuina, non ſolùm quando vrgebant, ſed ſemper, atque in omni opere, ſupererogationis modo, accuratiſſimè cuſtodiuiſſe; quod Theologi ad heroicitatem Fidei requiri aſſerunt; ſequitur ipſum perfectiſſima hac Iuſtitiæ Specie, per quam cultus Deo debitus exhibetur, id eſt Religione, exactiſſimum fuiſſe. Et eò potiſſimùm quod eſſentia Religionis Seraphicæ conſiſtat in illis tribus Votis, Paupertatis, Caſtitatis, & Obientiæ; quæ quam Seruus Dei heroicè obſeruauerit, propria Capita docuerunt.

108. Oratio quoque eſt actus Religionis; qualitercumque exerceatur, ſiue per modum petitionis, ſiue laudis, ſiue gratiarum actionis. Quæ ſi feruenter, ac frequentèr, & eò magis inceſſantèr ab aliquo Dei Seruo funditur, ſecundum omnes Theologos, procedit ab eius heroica Religione, ſeu Fide. Non immeritò itaque euentilanda hìc Oratio Noſtri Patris Apparitij, vt pleniùs elucat magna eius Religio. Sit ergo ſuper hoc.

Ex Lau. in 3. to. 2. diſp. 32 de virt. heroica art. 9.

§. I.

De Oratione Vocali, & Deuotionibus. Apparitij.

109. NON latuit Seruum Dei, quod humilis, & deuota obſecratio cęlos penetret; & idcircò ſine intermiſſione, vt Dominus hortabatur, orabat, aſſiduè recítando: *Pater noſter*, & *Aue Maria*: intrinſeco affectu, & amore, attentione, & teneritudine: nunquam à manibus dimittens Coronam precatoriam, noctu, dieque, vt nec à labijs Sanctiſsima Nomina Ieſu, & Mariæ, etſi externis, quas obedientia dictabat, inceſſantèr exerceretur curis. Idque ipſum iugis precationis officium, quibuslibet perſonis, toto ſpiritus ſeruore commendabat. Extraordinario amore erga Deigenitricem ferebatur, eiuſque Sacras Icones in quocumque loco deuotiſsimis obſequijs, & ſalutationibus percolebat: ſuo propterea patrocinio, ab innumeris periculis, ſpiritualibus, & corporalibus præſeruatus. In cunctis eiuſdem Deigenitricis Feſtis communicabat omninò, & poſt com-

communionem plerumque à terra ſubleuabatur, atque illius intuitiuâ apparitione recreabatur, peculiaritèr ſemèl in S. Gabriele de Cholula. Quod deponunt duo pergraues teſtes.

110. Erat pariformitèr deuotiſsimus ergà Sanctiſs. Altaris Sacramentum. Ad cuius auditum profundiſsimè ſemper caput inclinabat, & exuberantem animi iucunditatem demonſtrabat. In quacumque Eccleſiâ, in quam ingrediebatur, etſi defeſſus, & aduerſa valetudine oppreſſus, duabus tamen, aut tribus horis flexis genibus in oratione coram hoc Diuiniſsimo Sacramento ſubſiſtebat, fixis directè oculis in tabernaculo illius abſque omni motu manuum, pedumque: tanta immobilitate, firmitate, & robuſtitate, longè excedente vires ſuæ prægrauis ætatis: cibi, & cuiuſuis ſubuenimenti corporalis plerumque oblitus.

111. Nec minùs deuotiſsimè coluit Paſsionem Ieſu Chriſti Domini Noſtri, eiuſque Sacroſancta Myſteria; à qua etiam percepit quoſdam ſingulares fauores, præſertìm vnius repentinæ ſanitatis, poſtquam ipſi in caſsùm fuiſſent applicata plurima medicamina in valetudinario Angelopolitano. Ergà Animas Purgatorij quoque, & S. Iacobum Apoſtolum, ac Seraphicum Parentem Franciſcum, necnon & S. Antonium, atque S. Didacum, & Sanctos Angelos Tutelares ſumma deuotione afficiebatur; vti manifeſtant fauores, quos illi impertiuerunt; poſt hæc referendi. §. II.

§. II.

De eius Oratione Mentali, de que Eleuatio-nibus, & Raptibus.

112. TANTÆ attentionis, vel potiùs contẽplationis fuit Oratio Serui Dei, vt recitando Coronam eleuaretur, volaretque per aërem, conductus viribus ſui inamorati Spiritus. Sub ſuaui magiſterio Spiritus Sancti integras noctes impendebat genuflexus in meditationibus, abſoluta Corona, circa verba contenta in *Pater noſter*. Hinc vigintiſex annis, quibus Religioſus fuit, & peculialitèr vigintiquatuor, & ampliùs quibus habitauit Angelopoli, ignotũ an vnquam obdormiſſet ſub tecto, ſed ſemper ſubdio, ſubque aère detecto, cœlum proſpiciens; quietioris Orationis, & meditationis per eam amore. Qui modus ſubdio libentèr orandi, cœlumque ſpectando precandi, cum ſit extraordinarius, & ſupra communem cœterorum piorum Virorum in orationibus perſiſtendi, potiſſimùm rigente, & ſuis inclementijs ſæuiente cœlo; contemplationes ſingula-

gulariſſimas huius Viri Dei deſignat; iuxta ea, quæ de S. Patritio Dei Eccleſia, in ſingularem eius laudem commemorat, *quod antelucana tempore per niues, gelu, ac pluuias, ad preces Deo fundendas impiger conſurgebat*. Cumquè moleſtaretur per quoſdam, vt ſaltem vna nocte quieſceret in cella, aut alibi ſub operto, reſpondere ſolitus erat, in id conſentire non poſſe, nè ſummis, quas in aſpectu cœli deſumebat conſolationibus, laudibuſque, & glorificationibus Diuinis priuaretur. Et iſti ſunt effectus ſuarum precum, & meditationum, propter quos tàm intentè cœlos ſpectabat. In 4. lect. Officij 17. Martij.

113. Indiuulſo fœdere coniunctam habuit ſuam Orationem cum præſentia Diuina, adeò, vt nullis curis, nulliſque occupationibus exterioribus tàm Obedientiæ, quàm Charitatis diſtrahi, & minus interrumpi in ea quiuiſſet. Et eſtò à nemine didiciſſet regulas Orandi, & Meditandi, ſubtili tamen, ac ſublimi magiſterio diſſerebat de rebus Diuinis, de ſtatu Spirituali, & de vijs interioribus. Quod teſtificati ſunt tres perdocti, & ſcientifici Viri, huiuſcè materiæ periti, Pater nimirùm Ioannes à S. Anna Franciſcanus excalceatus, egregius Theologus, tàm Myſticus, & expoſitiuus, quàm Scholaſticus, S. Officij Qualificator, Prouinciæ Mexicanæ Definitor, & Mexici Guardianus, ac tandem Prouinciæ S. Didaci

Pro-

Prouincialis. Pater quoque Petrus de Spinoſa pariter excalceatus ſubiectum grandis authoritatis, & doctrinæ; atque Pater Matthæus de Zeruantes Sacerdos Officio Prædicator: viri admodùm Spirituales, qui compluribus annis cum Apparitio familiaritèr conuerſati, ex eius ore audiuerunt plurima de vita æterna, quæ regulas ſelectiſſimas ex Myſtica Theologia eſſe dixerunt; prouti conſtat ex eorum depoſitionibus iuratis, tàm ſuper hac materia, quàm ſuper principalioribus iſtius operis.

114. Alij non pauci teſtes depoſuere, quod illum ſpectauerint pluriès raptum in Oratione, & multùm à terra ſubleuatum, atque in áére, tàm ingentibus emicantem ſplendoribus, vt noctem in diem transformauerit. Nullam determinatam orationis horam tenebat, quod omni momento diei, & noctis Orationi inſiſteret, potiſſimùm vltimis ſuæ vitæ annis, quibus iam totus in Deum abſorptus, ad nullius verba, & interrogationes attendebat, nec quid, quod terrena concerneret, reſpondebat.

115. Et hunc ergo cultum, Orationis vtriuſque, Apparitius Deo exhibuit perfectiſſimè, nedùm vt Chriſtus inſtruxit, aſſiduè, & ſine intermiſſione precando, ſed etiam modo extraordinario, & ipſi proprio, in cœlum oculos ſubleuando iugitèr. *Non immeritò autem*, inquit Scacch.

Sum-

Summi Pontifices in Bullis Canonizationum, quæ ex probatis informationibus extrahuntur, plurimùm expendunt, ſtudium orandi, & feruorem Orationis eorum, quos in Sanctorum albo adſcribendos cenſuerunt. Nam manifeſtum eſt, Orationem, qua Creaturæ rationalis erga Deum amor oſtenditur, præcipuum tenere locum. Citatus Sect. 5. cap. 4.

§. III.

De Liberalitate, Gratitudine, Affabilitate; ſeù Amicitia, & Veracitate Apparitij.

116. LIBERALITAS item Iuſtitiæ prænobilis ſpecies, & Virtus propria Iuſtorum, inclinans validè animum ad beneficentiam, & còercens ab inordinato amore rerum ſuarum, & à tenacitate, & auaritia, quæ radix omnium malorum diuino teſtimonio aſſeritur; congenita videtur fuiſſe viro Dei, quod ab infantia totus propenſus fuerit ad beneficentiam, nec quid ita connaturale habuerit, vt benefacere. Ad quod cum facultatibus non ſufficeret, artibus ſufficere, & laboribus interminatis ſategit. Quamobrem di-

uitias ſuas, non exiguas, benefaciendo diſtribuit; vt ſat fuſè prætuli Capite de Charitate, & paſsìm in alijs, de quo propterea iurè poterat
Pſ. 111. dici illud Pſalmiſtæ: *Diſperſit dedit pauperibus, Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Et in Religione nè ob defectum rerum largibilium, illiberalis eſſet, modos pios largiendi excogitauit; vt præter elemoſinas, quas à communibus Benefactoribus fratribus conuehebat, alias à peculiaribus ſuis deuotis pro extremè indigentibus, emendicandi, & ad eos conferendi; quinimò cum aliud
Prouer. 29. nil ſuppeteret, veſtes talibus erogandi: *Nouit enim iuſtus cauſam pauperum.* Ob hoc.

117. Nil mirum quod omnibus gratus, & charus erat, affabilis, & amicus, cum liberalitas fundet Affabilitatem, & Amicitiam, & reddat hominem acceptum, & charum. Amicitia quippè eſt virtus, qua homo ordinatur ad alios homines in communi conuerſatione, tàm dictis, quàm factis, vt ad vnumquemque ſe habeat prout decet. Et ità rectè perhibetur de Apparitio, quod non fuerit perſona, quæ in toto Mexici regno, ſiue Hiſpana, ſiue Inda, pro Amico non exoptaſſet illum. Nam ad vnumquemque eorum, & dicto, & facto ſeipſum ordinabat ſecundum quod decet. Et peculiaritèr cum vicinis, adeò ordinatè ſe gerebat, vt quod eorum agnoſcebat, tanquam ſuum cuſtodiebat indemne. Vtque di-

uini-

uinitùs hortamur : *Nè tranſgrediaris terminos an-* Prouer.
tiquos , quos poſuerunt patres tui . In agricultura 22.
accuratiſſimus fuit , nè quid vltra proprios termi- & Deuteron.
nos de vicini agris aliqualitèr ſubtraheret , aut in 27.
vſum ſuum conuerteret , quod eorum eſſet . Per
quæ in eo refulſit non modò virtus Iuſtitiæ in ge-
nere , ſed & præcipuè hæ duæ , Amicitiæ , & Li-
beralitatis , totaque commutatiua .

118. Gratitudo paritèr Iuſtitiæ inſignis pars
eſt , Seruum Dei varijs modis illuſtrans . Velut
namque ad Gratitudinis virtutem hæc tria requi-
runtur , vt perfecta ſit ; ſcilicet , vt gratus bene- Ita Scacch.
ficium agnoſcat debita beneficij æſtimatione , & de nōt. & ſign.
acceptatione ; vt beneficium collaudet per gratia- Sanct. Sect. 4.
rum actionem ; vt aliquid benefactori retribuat cap. 2.
pro eo ſecundum quod tempus , poſſibilitas , &
locus dictauerint retribuendum ; ita prorsùs , &
Apparitius iuxtà hæc tria omnibus gratus fuit ,
vt affirmant innumeri teſtes , interminantèr Deo
gratias agens , preces pro beneficijs , & holocau-
ſtum ſui , tantis pœnitentijs , & contritionibus
humiliati , & contribulati Spiritus offerens ; ſuo
modo , & ordine , hominibus quoque & gratias ,
& preces , & ſui corporis macerationes , nec non
& miraculorum virtutem pro acceptis elemoſina-
rum beneficijs retulit ſemper ; omnium , quos
ſuæ prodigioſæ vitæ teſtes habuit teſtimonio .
Quod igitur Apoſtolus admonet : *Grati eſtote in*

omnibus gratias agite. Orationi inſtate, vigilantes 2. ad Theſ. cap. ad Coloſſ. cap. 4.
in ea in gratiarum actione &c. Apparitius exactiſſimè obſeruauit, & eo magìs, quod tantæ virtuti horrendum illud vitium ingratitudinis oppoſitum, ab intrinſeco execratus fuerit ſemper; de qua illud Auguſt.: *Ingratitudo eſt radix totiùs mali ſpiritualis, & ventus quidam diſſipans, & vrens omne bonum, obſtruens fontem miſericordiæ ſuper hominem.*

119. Pari virtute Verax, & Sincerus fuit; vtque proprijs verbis tredecim de viſu, & auditu proprio teſtium vtar: *Gratiſſimus fuit erga beneficia, ſiue per elemoſinam, ſiue per amicitiam, & deuotionem percepta, atque ſinceriſſimus, & veritatis amiciſſimus inter omnes*; & propterea amatus, & reueritus ab omnibus, tanta obſequentia, quod illius dicta, & conſilia inſtar oraculorum haberentur. Eſt autem virtus hæc Veracitatis altiſſima, digniſſimaque, quia Deo proprijſſima, qui Veritas ipſa eſt. Ideoque Demoſthenes, vt refert S. Maximus, ſciſcitantibus ab eo, quid haberent homines, quo Deo eſſent ſimiles? reſpondit: *Benignè facere, & Veritatem amare.* Quamobrem
Serm. 8
Prou. 3. & à Spiritu Sancto tàm blandè monemur: *Miſericordia, & veritas te non deſerant. Circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui; & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus.*

De-

120. Denique Liberalis vir, qualis fuit Ap-
paritius, iniuſtus eſſe non poteſt. Nam ſi auari-
tia eſt radix omnium malorum. Et auaro nil ſce-
leſtiùs; Liberalitas erit radix omnium bonorum,
& Liberali nemo iuſtior; vt etiam Spiritus Domi-
ni conteſtatur: *In abundanti*, (puta in liberali) Prou. 15.
Iuſtitia virtus maxima eſt. Eſto Litterali ſenſu
abundans hic diues capiatur. Et ibidem: *Rex* cap.29.
iuſtus eriget terram; vir auarus deſtruet eam.

CAPVT XIV.

De Temperantia illius.

121. TEMPERANTIA in com-
muni eſt contemptus om-
nium corporalium illece-
brarum, laudumque po-
pularium; vt ait Aug. lib. de morib. Eccleſ. cap. 19.
In particulari verò eſt in-
frænatio appetitus ſenſi-
tiui, nè difluat per concupiſcentias, & delecta-
tiones, hominem à bono rationis abdicantes, iux-
ta Theologos. Quod cùm potiſsimùm fiat per
delectationes ſumptas ex cibis, & venereis, illicò
manifeſtum, penituſque indubitatum fit, Appa-
ritium tantæ virtutis validè compotem extitiſſe,
ex ijs, quæ perſcripſi de Pœnitentia, & Caſtita-

te

te ipſius, vbi affluentiſſimè patuit, Seruum Dei, nedùm infrænaſſe potentèr ſuum appetitum ſenſitiuum ergà quodlibet delectabile, & concupiſcibile, verùm & oppreſſiſſe illum, vel penitùs extinxiſſe ad ea cuncta, & ſignantèr venerea, & crapulatoria. Cuius nempè Caſtitas Virginalis fuit etiam in iterato coniugio, &.

122. Abſtinentia ab eſu, & potu tanta, quod hæc conſtituerit potiorem partem auſterijſſimæ pœnitentiæ eius, tota vita actæ. Etenim in ſæculo ampliùs quàm per ſeptuaginta annos, præter panem, & quidem ex frumento Indico, & aquā, adhibita modica bubula ſolummodò in ſolemnitatibus pro earum merito, nil aliud vnquam comedit; in Religione verò nec ipſam bubulam, nec piſces, nec quidquam cocti: & hoc etiam dùm grauiſſimè infirmaretur; quando viſcottum ipſi recens, vt ſumeret, ſemel oblatum, reſpuit, & ſumere recuſauit, aſſerens: *Non poſſe intrari in regnum cælorum per cibos delicatos.* Eadem replicando & illi, qui ſibi obtulerat malè valenti ſcutellam triti in iuſculo pulli panis. Simplicis verò iuſculi ex obedientia vnam ſcutellam ſumebat valetudinarius; ſanus haud quaquam; imò benè valens per biduum ab omni prorſus cibo ſæpiùs abſtinebat: vt proindè complurium iudicio ſupernaturalitèr vixiſſe credebatur, quod impoſſibile videretur, poſse quépiam, viribus naturæ ſub tanta auſteri-

teri-

teritate victus,potus,& ſomni, à quo etiam, vt ab inſenſiſſimo hoſte præcauebat,pręſertim tot morbis grauatum,laboribuſq;ac temporum rigiditate, vt niuium, glacierũ, imbrium,æſtus quoque ac ſolis ardore, in ſumma ætate, confectum ſubſiſtere. Cuius & potus ſola aqua, fuit vix ad ſatietatem hauſta, in vltima tamen ſenectute, ob indiſpoſitiones herniæ, ſeu rupturæ, aliaſque varias, & ob affectum quorumdam, quandoque poculum vini ſumebat. Quo modo viuendi, inſtauraſſe in ſe initium vitæ humanæ hic dicendus eſt. Siquidem dicatur: *Initium vitæ hominis panis, & aqua, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Eccleſ. cap 29

123. Et quoniam tantus rigor abſtinendi, exceſſerit longè communem aliorum piorum virorum abſtinentiam, ipſius Temperantiam quoque ad apicem heroicitatis aſcendiſſe, nulli ambiguum eſſe debet; & eam ipſam, quæ in ſtatu innocentiæ fuiſſet, quando iuxta monitum S. Bernardi: *Non debemus comedere, vt venter impleatur, ſed vt corpus ſuſtentetur*: nil ampliùs manderetur ab homine, quàm qúo vita eius ſubſiſteret, attigiſſe. De quali abſtinentia dicitur: *Qui abſtinens eſt adijciet vitam.* Quinimò cum in tantùm abſtinuerit præcisè, vt corpus maceraret, & rebelles ſenſus ſub fræno ſpiritus, & rationis contineret, ipſius Temperantiam ad perfectionem Euangelicam concreuiſſe fatendum eſt; iuxta ea, De modo viuend. ad ſoror. cap. 24. Eccleſ. cap. 37.

quę

De not. & ſign. Sanct. ſect. 2. cap. 2. quæ Schacc. tradit: *Extra tempus ieiunare ad macerandum corpus perfectionis euangelicæ eſt*. Tam ſtriſtè autem Seruum Dei abſtinuiſse affirmant ſexaginta teſtes de viſu; in cuius abſtinentia tres iſtas circumſtantias meritò perpendunt, nempè perarduum rigorem abſtinendi alacri, hilarique ſemper vultu; in decrepita etiam ætate; & mala valetudine affecta; quanta proindè Sanctitas ex hac radiauerit, teſtis ſit, qui dixit: *Super ſtellas fulgebunt facies eorum, qui abſtinentiam habuerunt.* 4. Eſdr. cap. 7. Et quid mirum, ſi tàm caſtus fuerit, qui ſic abſtinens fuit: cum ſenſu omnium verè abſtinentem neceſsè ſit caſtum eſse; vt S. Petrus Chriſog. inquit: *Ieiunium ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum Fidei, Caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum.*

124. Cumque hortatu Apoſtoli rationabile debeat eſse obſequium noſtrum, vt Deo acceptum ſit, Sua Diuina Maieſtas prodigijs manifeſtauit non paucis, quàm charum illi extiterit, ſumptum tandem ab Apparitio, cum naturæ neceſſitas exegit, vtpotè in vltima ſua ſenectute, illud vini ſuffragium, de quo paulo ante præfatus ſum. Quandoquidem crebriùs illi prouiderit illud pro ſua corroboratione, creando ex nihilo, caſibus planè memorandis. Primò ſub anno Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo ſexto in cubiculo Dominici Ruiz Topoiangi. Deinde bis Tacama-

chalci

chalci in domo Ioannis Garzia Vexarano; qui hoc depoſuit ſub iuramento vnacum Matre, & duabus Sororibus. Item ſub anno Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo nono Guaxocingi in cubiculo Franciſci Roldam in manibus trullam vacuam tenentis, dum ab eo Seruus Dei poculum vini expetijſſet, nec hoc haberi potuiſſet, trulla extemporè vino repletur, & Seruus Dei extenuatas reficit vires; prouti id conteſtatum fuit per plures qui huic miraculo interfuerant. Eodem paritèr modò Pueblæ in domo Annę Barbero compluriès vino vacua adimpletur, ſuperno auxilio, trulla, in vſum Serui Dei, laboribus confecti, ſitique æſtuantis.

125. Cuius, & tantæ Abſtinentiæ valorem, prodigijs conſimilibus approbare dignatus eſt Dominus. Nam diſtrictius nonnumquam abſtinenti per Angelos cibos ſuppeditauit. Sic in monte Tlaxcalæ. Sic & Amalucæ non procul Puebla. Sic in quodam cubiculo Guaxocingi. Sic Atriſci. Sic & Cholulæ. Quod totum perſpicuè iacet comprobatum à teſtibus ſuarum Informationum. Quę ſi cum reliquis, quæ ſuper ſua admirabili Abſtinentia referuntur, ſingillatim perſcribere èniterer, prolixum vtique volumen conficere opus eſſet.

126. Itaque ad integrandam ſuam Temperantiam, Modeſtiam ipſius, & Silentium obitèr expendamus. Quem namque tàm caſtum fuiſſe

conſtitit, quis Verecundum, & Modeſtum negabit? De quo viginti oculati teſtes promunt, quod & occaſiones ſolertiſſimè vitauerit, quidpiam, etſi minimum aduerſus Modeſtiam committendi; qui totus in eo erat, vt ſui geſtus, & verba, quæ proferebat, circumſtantes ad honeſtatem componerent: nunquam in verba effuſus, quæ neceſſitas non extorſiſſet, aut proximi vtilitas, vel honor omnipotentis; peræquè vt S. Bernardus de Malachia ſcripſerat: *Vt taceam interiorem hominem, ipſum exteriorem, ita vno ſemper modo, ipſoque honeſtiſſimo, & decentiſſimo geſſit, vt nihil prorsùs appareret in eo, quod offendere poſſet intuentes.* Vtque S. Iuſtinus ſcribebat ad Zenam, & Geren: *Loquendum mundanum nihil, ſed quod ad virtutem inſtruit.* Quare non immeritò Theologi hanc Modeſtiæ virtutem prægraue argumentum inſignis aſſerunt Sanctitatis.

In eius vita.

Scauch. vbi ſup. ſect. 7. cap. 4.

CA-

CAPVT XV.

De Fortitudine Apparitij.

127. VTIQVE Fortitudinis virtute, quæ, animi firmitas, dificilia aggrediendi, & ardua ſufferendi, eſt, roboratus eſſe debuit, ad omne perarduum, & dificillimum fortiſſimus Apparitius. Quid namque tantam, tamque diuturnam Pœnitentiæ aſperitatem ſuſtinuiſſet, præcipuè prægrauante admodùm ſenecta, & vi morborum, nimiùm fatigata, in ſpiritus hilaritate, & animi iucunditate perenni in eo, quam virtus hæc eximiæ Fortitudinis illius? Quid irrequietos, & pœnè inſuperabiles labores, quibus non pauci robuſtiſſimi Viri attenuarentur, & deficerent, in ipſo, per eos cunctos indefeſſo, ſuperaret tàm viriliter, & fortiſſimè, quàm ſola hæc cœleſtis firmitas fortiſſimi animi eius? Quid totum rigorem nedùm rigentis gelu, glacieué, verùmet imbribus, ac ęſtibus deſæuientis cœli, in Apparitio ſubdiò ordinariè degente excepiſſet, quàm ſanè ingens robur animi ipſius? Quæ vis, & quæ eòuſque præpotens habilitas cordis, alias carnei, carnales totiès elu-

dendi, & à ſe retrudendi eluctatrices, quàm eximia virtus Fortitudinis eius? Verùm quid in eo tanti valoris fuit reſiſtendi, imò ineluctabilem, & formidabilem ſeipſum reddendi Cacodæmonibus, diuerſimodè ipſum, & in qualibet horrenda ſpecie aggredientibus, quàm heroica fortitudo illius? Quorum infenſos aſsaltus, præter illos, quos in prioribus prænarraui Capitulis, hìc, vt in proprio loco ſequentes attexo. Per locum S. Petri Diœceſis Quauhtinchanis Seruus Dei conuehens ſemèl ſuis plauſtris triticum, effusè pluebat, & nè tritico implueret, tegumentum anxiè exoptabat; cui eatenùs ſollicito Dæmon quibuſdam ſtoreis, quas vulgus *Petates* appellat, oneratus obuius prodijt exhibens quod auebat; illicò tamen agnitum validè hoſtem cum munere ſpreuit, & repulit. Alia vice paritèr in forma humana, eſurienti panem, & quiddam aliud mandendum malus genius obtulerat; quem tamen, Diuina reuelatione cognitum, fortitèr à ſe eliſit. Et interdùm in figura leonis, interdùm vero in figura furentis tauri eum perimere intentauit. Nilquè demùm obtinens, in quodam cubiculo loci de Cholula, ſerpentis in forma perſecutus eſt eum tota nocte, nec minimùm illi conceſsa quiete.

128. Quam Fortitudinem Serui Dei inuictã perpendens Pater Ioannes à S. Anna, vir ſpiritu, & Doctrina præcellens, depoſuit, Apparitium

eua-

euaſiſſe Cacodæmonibus adeó potentem, imperioſumque, vt eos pro muſcellis, aut culicibus reputauerit. Quod hinc præclarè elucet, cum illum in Oratione in ſolario Valetudinarij Conuentus Angelopolitani perdurantem rapuiſſent, & ad Clauſtrum ſuperiùs, præcipitandum in ſubiectum hortum, tranſtuliſſent, is imperturbato, conſtantique animo illos talitèr allocutus fuerit: *Quid cunctamini? vt quid non paragitis, quod vobis à Domino permiſſum eſt? nam vos omnes nihili facio*: & his dictis fugauerit, diſperſeritque illicò omnés.

129. Pater quoque Petrus de Spinoſa Guardianus S. Barbaræ, & ſubiectum eminentis virtutis teſtificatur, ipſum indeptum fuiſſe tantum dominium ſuper Spiritus malignos, vt ſucceſſu temporis metuentes ſibi ab eo, cellam eius ingredi expaueſcerent, & propinquare ad eum. Et quidam grauis, & ſpiritualis Religioſus, ipſi ab hac vita decedenti Charitatis officio inculcans, nè ſe permitteret à periculoſo illius horæ hoſte præuaricari, huiuſmodi reſponſum retulit: *Iam illum Pater Domini gratiâ deuici, vt pridèm ad me non ſit auſus appropinquare.*

130. Hocque eſſe illud, quod Cornel. à Lapide ſcribit: *Sanctiores magis infeſtat diabolus, iiſque magis inſidiatur, vtpotè quos ſibi diſſimiliores, & Deo ſimiliores videt; & inuidet.* Quod ſanè In Ep. S Iacobi c 4.

per-

perſpicuum cernimus in Sanctiſſimis quibuſuis viris, & ſignanter in Seraphico Patre Franciſco, quem varijs quibuslibet modis impetiuit, & etiam ab alto præcipitauit; verùm id totum in maiorem eius gloriam ceſſit, inque rabidiorem excruciationem nequiſſimi perſecutoris; vt idem Cornel. inquit: *Deus non permittit diabolum appropinquare iuſto; aut ſi permittit, hoc non, vt lædat eum in corpore, niſi ad eius bonum, virtutem, & gloriam.*

In Ep. 5. Ioan. cap. 5.

131. Et ſiquidem Fortitudo, eò perfectior, quò in aggrediendo, & ſufferendo ardua diuturnior; & perfectiſſima, ſi vſque ad finem perdurans; profectò Apparitij per nonaginta octo annos duriſſima quæque pro gloria Dei perferentis, & arduiſſimum vitæ genus feruidiori ſemper anhelatu, & conatu pertrahentis vſque ad obitum, non niſi perfectiſſima, & heroica fuit. Quæ finalis Fortitudo, propriùs Perſeuerantia dicitur; de qua eſt illud Saluatoris: *Beatus qui perſeuerauerit vſque ad finem, quia hic ſaluus erit.* Et S. Bernardus: *virtus boni operis perſeuerantia eſt. Huic ſoli redditur corona iuſtitiæ: quid enim prodeſt eſſe bonum, eſſe ſapientem, eſſe potentem* (ſubintellige fortem) *ſi non perſeuerauerit vſque ad finem.* Quamobrem omnes alias virtutes ab hac heroicitatem ſumere, & perfectionem, meritò aſſerunt Theologi. Nil quippè vlla prodeſt, niſi finali Fortitudi-

De Paſſione Domini c. 4.

ne

ne fuerit exercita, quę in cunctis Apparitij mirè reſplenduit; vt vberrimè per omnes patuit.

CAPVT XVI.

De Prudentia, & Simplicitate illius.

132. FALLITVR vtique Politicus, & nimiùm fallitur, Prudentiam, imò Sapientiam, aſſerens, Cor machinationibus tegere, & ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare; Et proindè iuſtorum Prudentiam, vel potiùs Sapientiam; quæ in Simplicitate cônſiſtit, & nil per oſtentionem fingit, ſed ſenſum verbis aperit, vera, vt ſunt diligit, falſa deuitat, deridens. Cor namque machinationibus obuelatum, labori nimio, & varijs diſcriminibus ſubijcitur,& malum, quod ſic euitari contenditur, faciliùs incurritur; vel ſi interdùm euitatur, paulò poſt multo grauiori ſuccumbit, & tandem ſuipſius ruinæ. Hinc ab antiquis tali prudentiæ; quæ falſitati innititur, inflictus clauę fatuæ, quem dicunt inſanabilem, pro condigno præmio ſtatuebatur; vti proculdubiò,

&

& prudentiæ politicæ, quæ tàm procùl à regulis ſinceritatis, & veritatis euagatur ineuitabilis eſt pœna æterna. Apage igitur procùl hoc genus mundanæ, & vanæ prudentiæ à virtute, & ſanctitate, ſeipſam fundantis in falſitate.

133. Hìc etenim de ſola Prudentia, Virtute Cardinali pertracto, quæ virtus eſt dictans æterna præferenda eſſe temporalibus; Secundum quod de illa docet S. Aug. *Prudentia nobis neceſſaria eſt, quæ docet, quid fugiendum, & quid ſequendum ſit. Prudentia docet te, vt non ſuperbias, nec moreris in rebus tranſitorijs, cum ſint caduca, & eaque poſſides, tanquam aliena poſſidere aduertas. Prudentia docet te, vt quæ non potes perpetuò tenere, fructuosè permittas abire. Prudentia docet te, vt in cunctis idem ſis, tàm in proſperis, quàm in aduerſis, ſicut manus eadem eſt, quæ in palmam extenditur, & quæ in pugnum reſtringitur. Ipſa te docet, quomodo reprahenſibilis ſit nimia laudatio, & immoderata vituperatio; illa quidem adulatione, ſed iſta ſuſpecta malignitate. Prudentia teſtimonium reddit veritati, non amicitiæ. Prudentia cum diſcretione promittit, & promiſſum accelerat. Prudentia docet quomodo præſentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quotidiè futura præuideas &c. En ad quæ ſe extendit Chriſtiana Prudentia.*

Serm. de Prouid. ad fratr. in Erem.

134. Quam in Apparitio od omne verbum hùiuſcè deſcriptionis heroicè enituiſſe clariſſimum

mum eſt. Nam quàm ſolicitè fugerit, & noxam omnem, ſed potiſſimùm carnalem, & occaſiones quaſcumque minimas ad eam, non latet, ex huc uſque latiſſimè dictis, & domos, & patriam totam deſerendo, vbi labendi qualiſcumque in eamdem cauſa ſubſiliebat. Quinimò fœmineæ beneuolentiæ ſigna, quamquam honeſtæ, piæque dexterrimè euitauit vbique. Qua in re lepidum eſt, quod egit in domo D. Petri de Figueroa, cuius dum quondam Domicella illa, quæ rem familiarem adminiſtrabat domus, pro præclaris Apparitij ſeruitijs, tortulam ipſi in beneuolentiæ teſtimonium obtuliſſet, Apparitius acceptam hanc protinùs iumento ibidem præſenti deuorandam præbuit, & paulò poſt ſeruitium illius prænobilis domus dimiſit. Conſimilitèr dum à Monialibus S. Claræ Mexici, vt benefactor egregiè tractaretur, ab eis receſſit, prætexens, quod nimis delicatè ab eis teneretur. Nouit ergo prudentiſſimè, & vmbram fugiendorum deuitare. Sequenda verò, non modò per viam mandatorum, ſed & cunctorum Diuinorum conſiliorum, adeò diſtrictè ſequutus eſt, vt nil penitùs omiſerit, quod vlla virtute ad perfectionis faſtigium conducit, vt per omnes hactenùs diſcurrendo abundè patuit. Humilitatis quippè, Paupertatis, Obedientiæ, Caſtitatis, & Pœnitentiæ, ac Patientiæ, vera imago fuit. Rerum tranſitoriarum, &

ſignantèr ſub vocabulo diuitiarum, aſpernator, & hoſtis fuit animo incomparabili, quas vt alienas poſſediſſe ratus, tanquam proprias diſtribuit hilaritèr, pauperrimi omnium Franciſcani vitam ſereniſſimo ſemper vultu, & tranquillo animo ducendo, vt in auſteriſſima maceratione corporis, nec vis morborum, nec acerbitas cruciatuum, nec grauitas laborum, nec immanitas tempeſtatum, & rigor cœleſtium procellarum, & inclementiarum, quibus aſſiduè ſubiacebat, nec quæuis alia aduerſitas eum à conſueta alacritate vnquam, vel minimùm emouerit, vti nec laus vlla, aut fauor, vel adulatio humana, aut quiuis rerum caducarum mundi profectus extulerit. Quem paritèr ab amore cœleſtium, & contemplatione tàm exteriorum, quàm interiorum venuſtatum cœli, nulla prorsùs facultas abſtrahere valuit, nec quidquam ipſi charius obijci, quod eum in eo diſtrahere potuiſſet; vt hinc ſaltem conſtet, quàm longè cœleſtia prætulerit terrenis, & quis Prudentię tenor fuerit in eo, dum vniuerſa media ad vltimum finem directa, ſolertiſſimè conquiſierit, & totis viribus aplicauerit, ac omne, quod ab eo auertit ſtudioſiſſimè reſpuerit, & declinauerit.

135. Cum etiam opus fuit, & ratio ſuaſit, optimum talentum intelligentiæ, ac prudentiæ monſtrauit in quacumque opportunitate, & præſertim in dictanda proximo via ſalutis. Nec ignorabat

rabat modos efficaces conſolandi quoslibet afflictos. Et hoc quidem tanta prudentia, & zelo, vt corda eorum audito ſermone illius protinùs excutiebant à ſe omnem amaritudinem, diſplicentias, mœſtitudinem, moroſitates, & odia, ac ſimultates, omnemque cogitatum diſcrepantem à lege Diuina, & implebantur lætitia, conſolatione, ſuauitate, & dulcedine amoris Dei, & proximi. Quæ vniuerſa ſunt effectus Prudentiæ, dicente Cicerone: *Sapientia eſt, quæ excutit mæſtitiam ex animis* Efficaciſſimus quoque erat perſuadendi qualemcumque virtutem ad emendationem vitæ; vt hoc plures quam triginta, quibus fœliciter ſucceſſit, vt ſapientibus illius conſilijs ad meliorem ſtatum reducerentur, affirmarunt, conteſtantes, quod vti in operibus ſuis, ita & in verbis vir cœleſtis apparebat, cui non poterat contradici in eo, quod conſulebat; & ſi quis conſulenti reſiſtebat, a Deo puniebatur. 4. de finib.

136. Et quoniam de rebus Theologicis interdùm cum viris doctis, prælatè diſcurrebat, ad eorum ſtuporem, vir aliàs agreſtis, & litterarum penitùs imperitus, Prudentia ipſius Sapientiæ lumine, ſupernè afflata cenſeri debet, eoque magis heroica reputari, quod à tanta virtute illuſtrata. Equidem & de Prudentia Sapientiæ Dei legimus: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper Prudentia, & reſponſis eius.* Lucæ cap. 2.

137. At quia Prudentia huius mundi in duplicitate conſiſtit, adeò ſolertèr ſenſum velando, vt falſa vera, & èconuersò oſtentet, quod ſuam ſecùs rationem variari arbitraretur; propterea Iuſtorum Prudentiam Simplicitate quidditatiuè conſtare neceſsè eſt, & à ſuo conceptu omnem compoſitionem, functionemque penitùs excludere. Etenim naturalis Simplicitas Apparitij mihi efficax argumentum eſt inferendi heroicam virtutem Prudentiæ illius. Tantam autem loquẽdo Simplicitatem præſeferebat, vt perhibent omnes, quod cuiuſdam in ſtatu innocentiæ in Paradiſo degentis fuiſſe videbatur; vtque adijcit Pater Letona opinione multorum, videbatur Adam in eo non peccaſſe, ingenitæ ſimplicitatis illius ratione. Quandoquidem, vt inquit Eccleſiaſtes: *Omnis labor hominis in ore eius*; optimè poſſit inferri: cuius os innocens eſt, is ſine labore, & abſque defectu eſt, ac innocens: labor enim eſt pœna culpæ, iuxta illud: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Maledicta terra in opere tuo: in laborbus comedes ex ea &c.* atquì Apparitij idioma naturale tantum, locutioque ſimplex, & ab omni compoſitione, ac duplicitate aliena fuit ſemper, planè prout in ſtatu innocentiæ fuiſſet; conſequentèr & abſque labore os eius: in compoſitione enim labor. Vt omiſſis innumeris huiuſmodi, clariſſimè id elucet hinc, quod dum à ſuo

In vita eius.

Cap.6.

Gen. cap.3.

Guar-

Guardiano ad Dominum Comitem de Monterey, cuius Apparitius quondam vaſallus erat, per Angelopolim Mexicum Proregis munere tranſeuntem, & Apparitium, de cuius Sanctitate plura præſenſerat, videre peroptantem, emitteretur, obſequitur Apparitius, & Comitem adit in Palatio; quibus reciproca ſeinuicem aggratulatione conſpectis, Apparitius hac ſibi innata Simplicitate alloquitur Comitem: *Puſillulus eſtis Comes: noui veſtrum parentem, & erat grandior vobis*. Quo puritatis affatu denotabat, Proregem, cæteroqui, vt authoritate, ita & Virtutibus exornatum, exiguæ fuiſſe ſtaturæ. Haud abſimiles colloquendi, & tractandi cum omnibus Simplicitates exercuit, peculiantèr cum Domino Epiſcopo D. Didaco Romano, ipſius Virtutum ſingulariſſimo veneratore; vt & in Conuentu de Topoiango in ſolemnitate Aſcenſionis Domini præſertìm, atque in vna Miſſa in Eccleſia S. Claræ Mexici; quæ velut vulgares, in ſuis Hiſtorijs prætermittuntur.

138. Nec ſecùs Simpliciſſimè nugaces Studentum Angelopolis excepit facetias, ipſum aliquando iam defunctum inſimulantium, & in Capulo extenſum, ad hortum, inter caules tumulandum, eſſerentium præcinendo: *Subuenite Sancti Dei*; atque ſubinde ad eum inclamantium, quod omnino mortuus eſſet, (fors aliquis, & il-

lud:

lud: *En quomodo moritur iuſtus*) quibus ille nil oblocutus, ad ſuum Guardianum dumtaxàt eatenùs ſtudentes increpantem, hæc edidit: *Sumnè mortuus Pater Guardiane? Videor enim mihi, viuere.* Ad quem Guardianus hæc: Simpliciſſimè Virorum, quomodo mortuus eſſes, ſi loqueris? Quod etiam non pauci egregij viri conteſtentur, ex illius ore nunquam lapſum fuiſſe verbum inane, & multominùs quod culpari potuiſſet, ſiue ex offenſa, ſiue ex murmuratione, ſiue ex temerario iudicio, ſequitur os illius immune fuiſſe ab omni labore, & innocens; vt ſilentio nequaquam prætereatur quod præfatum eſt de illius Simplicitate, & innocentia, conſimili alicuius in ſtatu innocentiæ. Et ita Seraphicus qnoque Patriarca Franciſcus ex magna Simplicitate ſui Diſcipuli Fratris Ioannis, inferebat eius perfectionem, & innocentiam religioſam, illumque Sanctum adhuc viuentem appellabat. Ita & S. Eccleſiæ Doctores nos hortantur, virtutes cunctas adminiſtrandas eſſe in Simplicitate, quod virtus ſuapte natura incompoſſibilis ſit, cum duplicitate finctione, & compoſitione, & expreſsè S. Paulus Apoſtolus: *Qui tribuit in Simplicitate*. Et Ven. Beda: *Conſeruantes in Simplicitate innocentiam*. Quodque inter cætera vacuum eſſe nequeat huiuſcemodi doctrinæ illud Scripturæ: *Iacob autem Vir Simplex ha-*

Ex Chron. par. 1. lib. 1. cap. 18.

ad Roman. 12

Serm. 18 de Sanctis.

Gen. 25

habitauit in tabernaculis. Siquidem tabernaculum ſit Simpliciſſimum habitaculum, fermè abſque tecto, quia trans illud cœlum proſpicitur, nec opus eſt feneſtris ſub eo. Vt hoc agnoſcamus, Simplicitàtem noſtram procul eſſe debere à tegumento, & velamine, tàm in opere, quàm in ſermone. Ideo Spiritus S. Iuſtos omnes Simplices appellat, per Simplicitatem ſuam (quam Prudentiam intellige) directos in viam ſalutis, ad illud: *Simplicitas iuſtorum diriget eos*. Et *Iuſtus, qui ambulat in ſimplicitate ſua*. Quod Chaldeus textus interpretatur ſic: *Qui ambulat in Simplicitate ſua, iuſtus eſt*. Eam ob rem meritò ab Eccleſia in laudem iuſtorum accinitur:

Prou. cap. 11. Ibidem cap. 20.

Sapientiam iuſtorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Eccleſia.

Nam Sapientia, & Prudentia Iuſtorum in Simplicitate eorum conſiſtit.

CA-

CAPVT XVII.

De Dominio Apparitij ſuper animalia; tàm ferocia, quàm mitia.

139. IN Capite mox præterito de Prudentia, præfari libuit de Simplicitate Apparitij, quod fuerit non abſimilis illi, quam Adam in ſtatu innocentiæ habuerat, ob ſimpliciſſimum, omnique compoſitione expers os eius in loquendo. Innocentem verò hanc Simplicitatem illius, non leue fundamentum eſſe innocentiæ ſuæ oportet, vt dicamus ex conſequenti; eoque potiùs quod veluti Adamo durante illo fœlici ſtatu, cuncta animalia, eſtò fera, & indomita, imò ferociſſima, ſuberant, & parebant, ac tamquam manſuetiſſimi agni coram eo apparebant indiſcriminatim; ita prorsùs, & noſtro Apparitio cuncta; vt illicò afferam. Sanctus autem Bonauentura Seraphici Patris Franciſci innocentiam infert ex ſubiectione, reuerentia, & obedientia hac ipſi creaturarum, & maximè animalium ferocium. Et non immeritò: Siquidem

ea

ea ſit mens, & cæterorum Theologorum, luctuoſa generis humani per lapſum ſui prothoparentis experientia conteſtata, poſt quem cuncta irrationalia ipſi rebellarunt, dum priùs vniuerſa plena, & totali ſubiectione paruiſſent, non ab aliam cauſam, quàm innocentiæ, qua prius amictus, lapſus exutus extitit. Cum ergo eadem ſubiectio, reuerentia, & obedientia irrationalium præſtita fuerit Apparitio, innocentiæ ipſius non mediocre argumentum ſubeſt. Quod quidem præ cæteris, ſingularitèr patet de ferociſſimis, penituſque indomitis iuuencis, quos ſui patroni nullis artibus, nulliſuè modis domare, & minùs plauſtris alligare, minimùmque ſeruitium per eos exequi potuerunt vnquam, quia innata ferocitate impetebant cunctos; præſente tamen Apparitio, imò ſola voce ipſius præſenſa, repente fiebant manſueti, adeò vt tractari ad placitum permitterentur, curribuſque iugari, & ad quoſuis labores adaptari, ac ſi per plures annos in eo exercitati fuiſſent; etſi nunquam fuerint. Quorum quidam coram eo genua flectebant, & rictu terræ appoſito audiebant, dum ab eo corripiebantur, velutque vſu rationis præditi exequebantur, nil penitùs tranſgredientes, quidquid ab eo iuſſum erat; pergebantque directè quocumque ab eo deſtinabantur, nullò deuiantes, etiamſi locus, ad quem pergebant procùl abeſſet, & illi in eo nunquàm hactenùs

Scoti in 2. d. 19 q. vn.

S fuiſ-

fuiſſent. Cuius generis caſus plures triginta verificati fuere, in Informationibus Apoſtolicis, qui ſucceſſerunt. Angelopolis, Tlaxcalæ, Natiuitatis, Guaxocingi, Quæchulæ, Tecamachalci, Cholulæ, Atriſci, Tepeace, & in certis alijs locis.

140. Quorum admirabiliores, & memorabiliores dumtaxat afferam, ob circumſtantias in eis notabiliores, vt ſunt. Conuehenti ſemel Apparitio ſuis plauſtris pro ædificio Conuentus Angelopolitani ſaxa, primo itinere bos vnus defatigatur, vt ſolui debuerit, & dimitti. Cumque nullum remedium proſequendi vecturam in loco ſolitario, in quo erat, ſupereſſet, videns ibidem Sylueſtrem quamdam Vaccam, & eo ipſo ferocem, & indomitam, nunquamque currui iugatam, cum ſuo paſcentem iuuenco, eam acceſſit, protinuſque obtemperantem alligat in plauſtro, & iubet, vt iam ſocia boum, pari eorum domitate, & manſuetudine vecturam oneris illius ſubiret; iuuenco conſimilitèr eius, poſt illam mugitu, & curſu incitato, fiducia eadem præcipit, vt ſitu, & loco, in quo erat, pacatè conſiſteret, quouſque Vacca mater officium ſuum impleuerit. Nec ſecùs, mira ſanè res, factum. Nam & Vacca ilicò paret, ſubditur, & manſuetiſſimè trahit toto die, & iuuencus eius à loco, in quo præceptum audiuit, non emouetur, tametſi coram eo quatèr vacca mater ſaxorum vecturam

pe-

peregerit: imò quinto vecturæ itinere circa meridiem àblactatum dimiſſus, immediatè deindè ad ſuum locum compoſitè ſe recepit vſque ad veſperum.

141. Alio caſu diſcurſantibus quibuſdam furibundis iuuencis, recentèr ſub poteſtatem Apparitij redactis, per eminentia, & ſpatioſa paſcua locorum S. Franciſci, mandat Seruus Dei cuidam infanti ſeptenni, filio D. Mariæ de Figueroa, non procul à Conuentu habitantis, vt iuuencos ad ſe compelleret; mater tamen infantuli, id nimiū admirata, obſtat, & impoſſibile fore inclamat, vt puerulus, vix ſuipſius, compos, pecus furibundum alterius arbitrio ſubigere, quòd tres equites ad tale ſuum obſequium adigere nequirent. Subiungit nihilominùs Seruus Dei, vt tenellus etſi puellus nomine ſuo coërceat iuuencos, parituros omninò. Quod ſic & peractum. Nam iuuenci à paerulo quaſi agnelli ad Seruum Dei fuere compulſi.

142. Dumque in cuiuſdam viri pecudum receptaculo horridè ferociret vnus præ cæteris iuuencus, nec ad ſe quemquam appropinquare permitteret, quinimò, & ipſum ſuum patronum impeteret, & omnibus metuendus euaderet, Aparitioque propterea donatur; quem Seruus Dei ita confidentèr alloquutus: *Fratercule iuuence, quod fieri debet fiat bonis; cum ſimus nati ad labores,*

laboremus non recalcitrantes: confeſtìm manſuetiſſimum reddit, vltròque de medio reliquorum ad Apparitium prodeuntē, non abſque omniū ſummo ſtupore, illigat, & velut agnū domū conducit.

143 Alium, cuius ceruix à iugo tota implagata, iamque carie confecta, & cruſtata remanſerat, curaturus, nè furiaret, neuè, prout minabatur, offenderet, ita blandè alloquutus: *Frater iuuence conquieſcas: ego enim te volo curare*: protinùs quaſi vſu rationis præditum mitigauit, vt ſeipſum non modò manibus attrectari, verùm & ipſo aratri ferro à putrilagine decruſtari vltroneè ſubmiſiſſet, cinereſque, & omnem acrimoniam deſuper patientiſſimè admiſiſſet: ad omnium qui aderant, eundemque ad mortalem irruitionem in quemcumq; diſpoſitiſſimū conſpexerant, ſtuporē.

144. Alium quoque, quem poſſeſſor eius præ nimia ferocitate nec attingere, nec capere poterat, & ideò mactare decreuerat, Apparitius Dono habitum, vnica voce, qua illum euocauerat, edomat adeò efficacitèr, vt paulo ante non ſolùm ferociſſimus, ſed & actualitèr furens, necemque minans iuuencus, ad Seruum Dei mitiſſimè acceſſerit, & manicam habitus illius allamlambere cœperit, eumque domum libentiſſimè ductus, ſequutus fuerit. Et compluribus eiuſmodi prolixitatis cauſa omiſſis.

145. Sex caſus admirabiles Syluestrium mu-

lo-

lorum, aliorumquè animalium ferocium, prodigioſè, repenteque manſuefactorum Angelopolis, Natiuitatis, Cholulæ, & Guaxocingi, verificati exiſtunt in Proceſſibus Apoſtolicis, quorum hic vnus aſſertur. Dominicus Perez fortis, & opimus agricultor Guaxocingi, ac inſignis benefactor Conuentus Angelopolitani, huiuſcè Serui Dei veneratione, deuotioneque ſingularis, quemdam equum in ſua poſſeſſione adeò ferocem, & indomitum retinebat, vt nullo ſtudio, nullauè cura, & arte domari quiuerat, minùs ephippiari, aut ab vllo conſcendi; occurrit intereà vt cuiuſdam negotij cauſa Apparitio neceſſarius eſſet Caballus, nec alius adeſſet; quamobrem hunc inſternit, & conſcendit, equitatque toto die, velut alium quemuis manſuetiſſimum, equitationiſque quotidianæ expertum; quod idem illicò poſt eum experiri contendens prælibatus Dominicus Perez, nil prorſus efficere potuit: Siquidem priori reſumpta ferocitate, nec ephippium vnquam admiſit caballus. Pariformitèr, & quoſdam feroces manſuetos ſua præſentia effecit canes.

146. In via quæ ducit Atriſco Angelopolim vna nocte ſubſiſtere debuit, qua illi, dum Orationi incumberet, formicæ potiorem partem tritici ex plauſtris ſurripuerant, quod Vir Dei aduertens, vrget diſtricto iuſſu formicas, vt incunctantèr ad vltimum vſque granum triticum in

ſua

ſua plauſtra reportent; & en nil prorsùs cunctatæ, totum omninò ad locum, vndè illud ſuffuratæ fuerant, retulerunt. Tecamachalei etiam obdormiuit ſuper vnum ingens formicarium, in offenſus penitùs à formicis; in illa regione Europeis multo grandioribus, & mordacioribus.

147. Nec prætereunda ſilentio tàm exacta pronitas exequendi ad nutum quidquid Apparitius ſuis bobus cunctis illis viginti quatuor Annis, quibus Conuentus Angelopolitani elemoſinarius, & conuector erat, annuebat. Omnium ſiquidem ſenſu, qui ſuper hoc ſcribunt, magis creaturæ rationales, quàm bruta apparebant, in cunctis motibus ſuis. Aſſurgebant namque, & ſeipſos componebant, qualitercumque Apparitio placebat. Ad ſuam quoque præſentiam, quamuis procùl diſtantes, ſola illius voce, lenitèr, & quam inde impoſſibile fuit audire, acciti, accurrebant. Quos ad veſperum liberè ſoluebat in Campeſtribus, ad quæ pertingebat, antiquiori tantum iniungens, vt iuniorum curam haberet, nè diſpergerentur, & diſpendium aliquod paterentur, neque pergentes ad talem locum vllò declinarent, & ab itinere recto deflecterent, aut vel minimùm quid in ſatis obtererent, ſed ſolùm herbis ſuis paſcerentur, maneque ad eum opportunè reuerterentur. Et totum hoc illi ad vnguem ſic, vt præceptum erat ab illo; obſeruabant.

148. Ete-

148. Etenim per noctes, dieſque integros per inſeminata frumenti indici paſcentes, nec folium horum depaſcere, nec calamum irrumpere reperti ſunt vſquam. Et hora laborum per ſeipſos, ſolummodò directi à boue maiori coram viro Dei comparebant. Quo in genere triginta ſex caſus admirabiles, alijque plurimi, illis conſimiles, per illud regnum, & Hiſtorias vulgaris notitię, manent conteſtati in Proceſſu Apoſtolico. Vnum dumtaxàt referam, qui ſucceſſit in Campis, & Pineto Cholulæ in Poſſeſſione Ioannis Garzia; & Franciſcæ Mendez Sotomayoris, coram Iudicibus Apoſtolicis ſub iuramento depoſitum, vt ſequitur.

149. Anno milleſimo Quingenteſimo nonageſimo ſexto appulerat Seruus Dei ad domicilium mox fati Ioannis Garzia cum ſuis plauſtris, & bobus duodecim; hiſque ibi eueſtigio ſolutis, ſub obedientiæ tenore præcipit, quatenùs circa extremitates, & confinia tantum ſatorum paſcerentur, intus verò ſi ingredi opportuerit, frugum penitùs indemnês euaderent. Patronus tamen Poſſeſſionis ſuo damno metuens, à tot bobus perfacilè frugi inferrendo, Seruum Dei exorat, vt boues inde arceret. Cui ille: *Nolite faſtidiri*, inquit, *Nam mei boues nil veſtrum depaſcent, neque vllum calamum frumenti veſtri infringent*. Tranſacto nihilominùs aliquanto tempore, proſpi-

ſpiciens patronus poſſeſſionis verſus ſata, àduertit boues per illa vagos palantes; & protinùs ad SeruũDei inclamat, iam indè non mediocria damna ſequuta. Replicat tamen Vir Dei confidentèr; *nil prorsùs ex eo iactura in ſatis enatum, vt mox videbitis.* Vtque hæc protulit, boues sàt procùl abſentes ſubmiſsè, quod naturalitèr audire nullatenùs potuiſſent, aduocat, ſeniori, cui curam demandauerat cæterorum, in hunc modum compellato: *Adeſto hic Capitanee. Cum ſocijs te volo.* Et immediatè èx ſatis bos Capitaneus cum ſocijs exiliens, in conſpectu Viri Dei, & Poſſeſſionis Patroni, ſe, & ſocios ſiſtit. Ad quem denuò Seruus Dei: *Ades dùm Capitanee? Damnificaſtiſnè ſata, vel quid obtriuiſtis frugum, noſtri benefactoris?* Ad quæ bos Capitaneus capite à latere ad latus commoto, & concuſſo negatiuè reſpondit, inſtàr hominis cum tali capitis motu tacitè negat quod ab eo quæritur. Cui miraculo illicò ſubnexum fuit aliud maius. Comprobata quippè tanto ſtupore per bouem Capitaneum indemnitate frugum, iubet Vir Dei, vt omnes duodecim percepta ſua benedictione, ordinatìm iuxta eorum anteitatem, vnus poſt alium deoſcularentur manicam habitus illius, & redirent liberè ad ſata. Quod ſeriò obſeruatum, & peractum ab omnibus.

CA-

CAPVT XVIII.

De Viſionibus, & fauoribus Angelorum, atque Sanctorum, deque Reuelationibus, & Prophetijs Apparitij.

150. IN itinere Tepeaca Angelopolim tempeſtuoſa, obſcuriſſimaque nocte perplexo, ac immobili hærenti, nec quo ſe verteret ſcienti Apparitio, illabitur protinùs agmen Agelorum, cœleſtem, modulamine vocum, & ſuauiſono tactu inſtrumentorum muſicam inſtruens, qua omni anxietate animi depulſa, cœlico lumine ſibi prælucendo, viam, quam proſequeretur detexit. Eorumdem Aogelorum obſequio quotiès pallium ipſius perijſſet, reperiebatur. Et quinquies, vt hactenùs aſſertum eſt, per eos cibatus fuit. Vnius Angeli Indiano amictu aduolantis ope, curriculum ſuum ex peſſimo paſſu extraxit, biſque eiuſdem beati Spiritus ſuffragio in traiectu duarum rupum, & præcipitoſorum tranſituum ſecurus euaſit; vt enarratum eſt in Capite de ſua Obedientia. Intuitus eſt duas

beatas Animas in cœlum ingredi multitudine Angelorum ſtipatas ſub Diuinis cantibus, & ſonis. Et vnus teſtis Informationum Apoſtolicarum mediante iuramento depoſuit, quòd ob frequentes conuerſationes habitas cum Seruo Dei, & ob creberrimas ipſi in itinerationibus ſuis occurſiones, cenſuerit, illum ſemper conductum fuiſſe ab Angelis.

151. Summa deuotione coluit S. Iacobum Apoſtolum; quare & illius viſibili apparitione potiebatur in oratione, ab eoque conſolabatur, liberatus ſemel à periculo mortali. Seraphicus verò Parens Franciſcus, tribus diebus continuis priuſquam profeſſionem emiſiſſet, illi apparere dignatus eſt, eundemque amplexatum, paternis abblandimentis conſolari voluit, & ad Profeſſionem generosè admittendam corroborare. Cui etiam in cunctis ſuis defatigationibus, ac moleſtijs, opitulatus eſt, & interdum conſpectiuè iuuencos ſuos cuſtodiuit, & plauſtra; quæ & onerare còàdiuuit, & nè præfracta corruiſſent, ſuffulſit. Eiuſdem Seraphici Patris cura à quibuſdam languoribus curatus, pallium deperditum reperijt, & quatuor ante obitum diebus confortatus extitit. S. Antonius quoque, & S. Didacus, in octo caſibus annotatis in Informationibus ipſi intuitiuè gratificati ſunt, & fauorabilitèr obſequuti. Alij ſex caſus Animarum Beatarum, quæ illi apparuerunt, ſunt

ſunt paritèr expreſſi in Informationibus. Ex quibus celebris eſt ille D. Franciſcæ Manrique de Zuniga, filiæ Proregis Villa Manrique, quam de media nocte in loco Natiuitatis orationi incumbens conſpexit rectà progredi in regna cœlorum; vt exprimitur in Interrogatorio Apoſtolico probatum per ſeptem teſtes.

152. Licentiatus Ferdinandus Diaz Sacerdos, & Petrus de Spinoſa incolæ Angelopolitani conteſtes deponunt, quod dum pedibus huius Serui Dei, nonnihil vetuſtate calceorum offenſis quidam ſuus Presbyter benefactor calceos aptiores prouidiſſet, vetereſque illos abijcere voluiſſet, is eum mox commonuit, nè procul hos proijceret, quia aliquo tempore eoſdem ſedulò perquiſiturus eſſet, vt non inutili vſui proficuos. Et ita planè euenit ſucceſſu tot prodigiorum in obitu eius, quorum cauſa abiecti calcei accuratè perſcrutati, & reperti, pro reliquijs fuere partiti, non abſque miraculorum effectu.

153. Prænuntiauit obitum ſuum, cuius manifeſtam habuit reuelationem, vti conſtat ex depoſitione ſeptem iuratorum Teſtium. Cuiuſdam deuotæ mulieris, ingentem mœrorem, quod eam maritus deſerere, & ad regnum Peruanum emigrare ſtatuiſſet, prænouit, eidemque illum detexit, & de mariti penès eam remanſione aſſecurauit. Aliæ viginti octo Prophetiæ, & reue-

T 2 la-

lationes ſecretorum cordium ſolius Dei oculis patentium; quorumdam quoque ab hac vita deceſſus, iuxta Serui Dei prædictum; variorumque aliorum caſuum admirabilium, qui euenturi erant, expreſſio, latè patent in ſuis Proceſſibus.

CAPVT XIX.

De eius Miraculis in vita.

154. CVM conſuetum ipſi noctu, dieque degere fuerit ſubdio, tectaque potiſſimùm vitauerit, vt periucundo cœlorum obtutu frueretur, quo veram animi fœlicitatem, contemplationem nempè ineffabilium cœleſtium interiorum venuſtatum, proprio commodo inſtitueret, ineuitabile profectò fuit, quin omnem cœli rigorem, & inclementiam, aërisque intemperiem, atque inconſtantiam ſubijſſet. Quis verò viribus naturæ ſubnixus, vel vnica nocte, brumali rigente cœlo frigus, geluque in aperto, totius meridionalem æſtatis æſtum, diluuia imbrium, niues, glacies, turbines; aliaque infanda ſublunaria incommoda, ſufferre valuiſſet, vt noſter Apparitius ea

cuncta, ac ſi nulla eſſent, ætate nonagenaria, ægra, pœnalique valetudine, præcipuè bicipitis herniæ, aliorumque languorum grauatus, alacritèr, hilaritèrque ſuſtulit aſſiduè. Sanè hæc vis in eo dexteræ excelſi fuit: qua ille protectus, & locus, & ſocij, & plauſtra, & boues, & elemoſinæ penes eum ab ijſdem cœli furoribus intacti, illæſiquemanſerunt.

155. Quandoquidèm dùm Tlaxcala Angelopolim cum Ioanne de Santiago Angelopolis ciue equitaſſet, ab ingenti tempeſtate, omnia circumquaque inundante, neuter eorum madefactus fuerit. Et Tepeaca Angelopolim cum Didaco Hernandez de Saluatiera itinerando cum omnia inuoluerent nimbi, eos tantum, nec ſubtùs à culliculo cui adnitebantur, defluentes aquæ; nec deſupèr decidentes perluerunt. Cuius ſpeciei prodigia, vtpotè, quod integris noctibus cœlo ningente, gelante, pluentè effusè, nec ipſe in aperto campo conſiſtens, nec ſui, nec ipſæ, quas conuehebat, elemoſinæ, eſtò penitùs detectæ, vllatenùs perpluerunt, ſunt triginta quinque in Proceſſibus: compræhenſo illo quoque admirabili caſu, enarrato in Capitibus de Obedientia, & Pœnitentia, ſuper rapido torrente, de rupibus, & præcipitijs montis Tlaxcalæ, in fluuium aucto, & Seruum Dei prætereunte intactum, inſulano ambitu.

156. Ipſius

156. Ipſius præſentia fuit efficax exorciſmus ad diſpergendas, & diſſoluendas qualeſcumque tempeſtates; fugandumque procùl, nedùm à ſua perſona, & ab alijs, qui ſua ſocietate potiebantur, ſed & à cunctis locis, & Poſſeſſionibus, quibus præſens aderat, quemuis horrendum crepitum grandinum, glacierum, & procellarum aërearum; vt id probatum extitit in non paucis locis, peculiaritèr autem Cholulæ in habitatione Ioannis Perez de Mendoza, & Tecamachalci in poſſeſſione Iſabellæ Garzia, iuxta depoſitionem ipſius, & trium filiorum eius.

157. Quædam alia prodigia operatus eſt pro propria perſona, præſeruando eam à nonnullis periculoſis lapſibus, & morbis lethalibus, vt & ſua plauſtra à varijs præcipitijs, vt hucuſque retuli. Et nouem huius generis caſus manent verificati in ſuis Informationibus.

158. Et quidem quoad præſeruare à periculis in locis his ſubiectis, habuit Seruus Dei ſpecialem gratiam, qua in vita, & ab obitu operatus eſt ferè ducenta miracula. Nulla fuit mulier, quæ ipſum, vel ſaltem quidpiam eius, vt Chordam, Capucium, & habitus particulam, vidiſſet, & fœliciſſimum partum, eſtò biduanis, & triduanis doloribus præoccupatum, euidentibuſque vitæ periculis ſubiectum, non obtinuiſſet. Qua in re innumeri caſus occurrere, quamquàm in Proceſ-

ceſſibus viginti tantùm appareant; ſex videlicet Guaxocingi, ſex Natiuitatis, tres Cholulæ,& tres Angelopolis, duoque in vna poſſeſſione Patrum Ieſuitarum. Cuidam Religioſo, ipſum in miniſterio vecturarum coädiuuanti, vehementi renum dolore preſſo, mox vt propriam Chordam adhibuit, eademque illum præcinxit, ſanitatem contulit. Et alteri, coqui officium exercenti, dùm immanibus gutturis inflammationum doloribus affligeretur, eandem ſuam Chordam applicans, extemplò perfectam incolumitatem attulit.

159. Super morbos Petiginum,Puſtularum, febrium, aliarumque Lethalium, atque incurabilium infirmitatum, operatus eſt Dominus mediante hoc ſuo Seruo viuente plurima mirabilia, vt præter preces, ſola eius præſentia remedium fuerit curatiuum omnium ægrè valentium,tametſi recuperatarum repentè Sanitatum in Proceſsu ſolùm vigintiquinque miracula recenſeantur, & ſeptem meſsis auctæ frumentorum, vt & reuireſcentium, quæ prius emarcuerant, ſatorum, Angelopolis, Cholulæ, Tlaxcalæ,& Tecamechalci.

160. Et hic velut in proprio loco replicatur famoſum illud prodigium, quo viro amico in monte,& nemore Tlaxcalæ, cum eo deperditos boues indaganti, & fame iam debilitato, eueſtigiò panem calidum, & lactucam viridem, ac recentem, ex manica protulit, non ſecùs quàm ſi

eo

eo tùm panis ille à piſtore ex furno, & lactuca ex horto illis ſuppeditata fuiſsent, ſubiungens illud
Pſal.54 Pſalmiſtæ: ***Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.***

161. Et propriùs hìc extendi deberet portentum illud primæ claſsis de creatione vini, compluriès in ſubleuamen extenuatæ, ingentibuſque laboribus attritæ ſuæ naturæ, cœlitùs prouiſi, nì quæ Capite de Temperantia ſuggeſſi, ſufficere arbitrarer, cum eiuſmodi plurimis ſparsìm.

CAPVT XX.

Mortuum viuus adhuc reſuſcitat Apparitius.

162. ANNO milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo Guaxocingi in domicilio Ioannis Cauallero, & Eluiræ Rodriguez ſuæ coniugis accidit, vt, ipſo Ioanne, in ſuo prægrandi curru, cum quodam Indo, qui eum coadiuuabat in factura cuiuſdam capſulæ, conſiſtente, prorepſiſſet è domo filiolus eorum quatuordecim menſium, nòmine Petrus, clàmque vt nemo aduerterit,

rit, ergà curſum, & ſex boues in eo exceſſiſſet, hique eius aſpectu, fors & motu, & attactu exterriti, furialitèr fugam arripuiſſent, ipſumque cadentem ſub rotam, hæc totum contriuiſſet, ibidemque ſiccitate terreni, Menſis quidem Decembris, ſed æquipollente ſiccitati in Europa Menſis Augusti, rotatione euerſi, iam enecatum, extinctùmque, idem currus ſepelliſſet. Quo infauſto caſu tota illa domus extremè perturbatur, luctuque, & eiulatu oppletur, & intereà fortuitò, comparet & Apparitius, caſum ſubaudit, compatitur, infantulum confractum, iamque pridem emortuum, apprehendit, in vlnas expandit, faciem faciei ſuæ, vt quondam fecerat Eliſeus, applicat, ſuſpirat ad Dominum, & preces fundit: Sicque eum, reſuſcitat, & parentibus viuum reſtituit.

163. Habita proindè penitiori reflexione, ad mirabilia per hunc Seruum Dei operata in vita, & ad ea quæ in illius perſona ſucceſſerunt à portentoſo euentu ſui carbunculi per lupam auulſi vſque ad fœlicem ſuum tranſitum, manifeſtè conſtabit, eum potentiſſimè vallatum fuiſſe tota vita ſua gratia Diuina, ad perennia, tùm in ſeipſo, cùm & in quibuſuis alijs prodigia patranda. Elicitur autem ex Informationibus Apoſtolicis, quod vltra trecenta Miracula viuens perpetrauerit Mexici, Angelopolis, inque locis, & Poſſeſſionibus nouem leucis in circuitu harum diſtanti-

D. Th. 2.2.q. 178.art 2. Caſtellin. de certitud. glor. Sanct. pa.397 §. 8. Contelor. de Can. Sanct. cap.20. n.2.

bus. Miracula verò; vt inquiunt Theologi, non niſi à Sanctis fiunt, in vita, vel poſt mortem, ad conteſtandam Sanctitatem eorum. Et his non immeritò ſubnectendum, & illud, quod dùm Seruus Dei ſemel de Monte Tlaxcalæ cum ſuis plauſtris ad Conuentum approperaret, obuius illi ſiſtitur in via quidam ſuus Compater, antè aliquot annos defunctus, cuius inſperato aſpectu ille ſtupefactus, perquirit ab eo, an ſuus Compater eſſet? cui hic reſpondit, quod ſic. Cum ergo iam dudùm mortui ſitis, replicat Apparitius, quomodo nunc eſtis hùc dimiſſi? vt pro amore Dei procures mihi adimpleri quaſdam clauſulas in meo teſtamento appoſitas, ſubiunxit defunctus, à mea Conſorte obſeruari neglectas, ſum ad te venire permiſſus. Secùs enim non eliberabor à pœnis, quibus affligor. Eſtote de hoc ſecuri prædilecte Compar, adiecit Apparitius; verumtamen quid eſt quod vos affligat ibi diceretiſne? tum defunctus: Calamitates, & miſeriæ, quibus torquentur, Deo dignè non famulantes, ſunt intollerabiles, nec ego eas alitèr deſcribere valeo, quàm hoc ſigno ignis quem ſuffero. Quo dicto diſparuit, poſt ſe relicta flamma ignis, efficaciſſimè exurentis. Eoque Apparitius expaueſcens, præproperè coniugem ipſius adit, & pro ingrato, inclementique neglectu acritèr reprehendit, atque illicò teſtamentum plena execùtione abſoluit.

uit. Hocque peracto apparuit illi denuò Compater totus feſtiuus, & iucundus, ſub huiuſmodi gratiarum actione: *Altiſſimus tibi rependat gloria æterna, quam mihi tua ſolicitudine largiri dignatus eſt*. Et paritèr diſparuit, Seruum Dei non mediocritèr lætitia, & gaudio affectum relictum.

CAPVT XXI.

De glorioſo Tranſitu Apparitij.

164. CONFORMITER ad ea, quæ Spiritus Sanctus de Iuſti obitu, eum ſomno ſanitatis comparans, pronuntiauit: *Somnus ſanitatis in homine parco, dormiet vſque manè, & Anima illius cum ipſo delectabitur*; Eccleſ. cap 31. imminente denique fœlici die, quo pijs operibus diù fatigata, & pietatis obſequijs irrequieta Apparitij Vita, curſus vniuerſæ carnis attigiſſet metam, hocque præſcito, & ipſo, quo ſibi emigrandum erat prænuntiato momento, velut is, qui glorioſè pro laureola conflixiſſet, eiuſdemque iam compos effectus fuiſſet, totus hilaris, ac iucundus, feſtiuus, & exultans, nec ſecùs quàm ſi ad delitioſum nuptiarum thalamum feſtinaret,

nil imperterritus, nilque perturbatus à morte, cupiebat quantocyùs diſſolui, & eſſe cum Chriſto: præuios èatenùs cruciatus, & dolores acerrimos, nec non & ſtomachi conuolutiones atroces, cum vomitu ſufferens fortiſſimè, verba ſuauiſſima, & profundas amoris Diuini, Fidei, & Spei ſententias, quamuis idiomate ſimplici proferebat, ad illudq; diuinũ ipsũ identidẽ hortantibus: *Surſum corda Apparitij*, alacerrimè, & viuaciſſimè reſpondebat totiès: *Habemus ad Dominum*, poſtquam quinta iam die antecedentèr, quæ erat Dominicæ, in vigeſimam Februarij anni Milleſimi Sexcenteſimi incidentis, ad Valetudinarium, ſola obedientię virtute (nam in atrio Conuentus Angelopolitani decedere, cœlum, vt illi proprium erat, proſpiciens præoptabat) translatus fuiſſet, & in tertia Cella ab Oriente collocatus. Nè tamen optatiſſimo ſuo cœlorum aſpectu in extremo vitæ priuaretur, qui præcipuum ſuę vitæ ſolatium ex eo deſumebat, charitatis titulo à Superiore impetrat, vt in tranſitu quodam ibidem conſtitueretur; ex quo non minùs cœleſtium exteriorum venuſtatum ſpectator tunc potiſſimùm eſſet, cùm eas ſcandare licebit, quàm interiorum intentiſſimus, vt ſemper fuit, ſpeculator; & ibidem mortales oculos fœlici ſorte claudere, vbi intenta mente perpetuò defixos ſeruauit. Optatis itaque ſic potitus, alacri, intrepidoque animo, ſolùm circa Diuina contemplatione

alta

alta affigitur, colloquia Spiritus ſuauiſſima intermiſcens, & intereà ſacroſancta, quæ cœli pandit Oſtium, affertur ipſi Altaris Hoſtia, quam ille pridie pro communione ſumens, tunc vomitu prohibente, tantum, exhauſtis quamuis corporis viribus, ex lecto exiliens, in genuaque prouolutus, toto Spiritus feruore, ſummaque ſubmiſſione, ac reuerentia, nec abſque lachrymis adorauit, ibidemque ſua Diuina benedictione percepta, ſuper nudum ſolum, nec ſcilicet culcitra, nec puluinari admiſſo, ſeipſum diſtendens, extremam Vnctionem percepit, & imitatione Seraphici Patris Franciſci ſic vltimum vitæ inſtans obire voluit.

165. Præmonetur interim a Guardiano, vt Chriſto, quem Crucifixum in manibus tenebat commendaretur; Cui ille hiſcè reſpondit: *Nùm eouſque hoc negotium præſtolari debebam? Quàmpridem Deus, & ego veterani amici ſumus.* Dumque per alium Religioſum paritèr exhortaretur, vt nihilominùs cautè attenderet, nè à virulento hoſte periculoſo illo in ſtadio quidpiã iacturæ pateretur; eidem quoque in hunc modum reſpondit: *Per Dei gratiam nihil habeo, quod mihi faſtidium, aut pœnam afferre poſſit; nec ipſe Cacodæmon quidquam habet aduerſus me: quia iam victus profugit: Cuncta cerno eſſe in pace. Sit milliès benedictus Dominus.* Cui propterea congruit illud: *Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore* Prou. cap. 28.

re

re erit. Et : *qui ambulat ſimplicitèr, ſaluus erit.*

166 Poſt hæc feria ſexta, quæ diei vigeſimæ quintæ Februarij erat, ſub primam horam noctis (ſeptimam iuxta horologium Hiſpanicum) nullo Campanæ pulſu, aut quouis alio ſigno præcedente, vniuerſa Communitas, centum ferè Fratrum, ab interno cuiuſque impulſu, dato per ſuum Angelum Cuſtodem, in Dormitorio, & in Cella Serui Dei ſimul congregatur, nemine prorsùs excepto, vt Credo, aliaſque Sacras preces, vt tunc aſſolet, in ſuffragium fœlicis ſui deceſſus decantarent. Quòd dum illi peragunt, ipſe Seruus Dei fidelis, & fœlix, vocem Domini, ſuæ Animæ dicentem audit: *Surge dilecta mea, formoſa mea, columba mea, & veni. Iam enim hyems tranſiit, imber abijt, & receſſit.* Et beata Anima illius, ſolui à carnis nexu incipiens, mellifluum illud Sponſæ ad ea repetit: *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus colligendæ meſſis aduenit*; vltimoque efflatu, quo ſuauiſſimum nomen Sponſi: *IESVS*, pronuntiat, ad pijſſima illa verba Credo: *Et incarnatus eſt,* in manus eius redditur, gloria, & honore in æternum coronanda. Hocque ſuaui, ſereno, & iucundo occaſu, Sol virtutum Mexici orbis, & Primitiæ Sanctitatis eius, Frater noſter Sebaſtianus ab Apparitio, necdùm ſat per heroicas, quas in hac vita ipſius perſcripſi, Virtutes laudatus, innocua vtique Vita perfungitur hora

ſecun-

ſecunda noctis (octaua iuxta prædictum Horologium) diei præfatæ vigeſimæ quintæ Februarij Anni Milleſimi Sexcenteſimi, qui quod annus Iubilæi erat, & dies illa glorioſo Matthiæ Apoſtolo Sacra, ipſi verè annus Iubilæi æterni, ſorte Sancti Matthiæ euenit; & in tranſitu eius, planè vt ipſe cuidam Religionis, ſibi ob Sanctam Simplicitatem illiusadmodùm charo laico, conterraneo aliàs ſuo, ſignum aliquod ſui tranſitus, ab eo, vt Communitas tunc conueniret, poſtulanti prædixerat: *poſt triduū quidem eum obiturū, ſed ſigno vt ideo Communitas conueniat, opus haud futurum.*

167. Verùm, & qui aderant Fratres, eodem momento, quo Sanctam efflauit Animam, adeò cœleſti quodam iubilo corda ſua imbui perſenſerunt, vt nedùm nil penitùs contriſtarentur, quia tàm Sancti Viri conſortio deſtituebantur, at nec conſuetum Reſponſorium Defunctorum præcinere præ iubilo, quo afficiebantur, potuerunt. Idipſum, & compluribus ſæcularibus Angelopolitanis euenit; qui eo ipſo quo Campanas ſolemnitèr compulſari ſubſenſerant, ignorantes omninò, quid per id ominaretur, tàm rara, & exuberanti in cordibus ſuis lætitia fuere perfuſi, vt cœleſtem eam opinarentur. Signantèr veró Ven. Serua Dei Ioanna de Zifuentes, quæ tunc in Oratione exiſtens, abruptè ſpiritu exhilarata, in lacrymas, & vnà in huiuſmodi verba prorupit: *O fælix*

ani-

anima, quæ tàm glorioſè tendis ad Dominum. Super quo ſolicitè percunctata à Domeſticis, reſpondit: *Quædam beata anima, relicto nobis in Conuentu S. Franciſci theſauro ſui corporis, feſtiuè nunc migrauit ad cælos.*

168. Conſimilitèr quamprimùm expirauit, Cella,ſeu locellus ille,totumque Valetudinarium, & potior pars Conuentus, cœleſti quadam fragrantia redoluere, & ſolidum teſtimonium Sanctitatis Viri extitere; vt ob id actutùm Religioſi quique exiguam illam ſuppellectilem certatim diripere, habitum diſcindere, capillos auellere, vngues præcidere,& quod quis potuit, toto enixu abripere de qualicumque reliquia eius ſategerit: Sique obedientia non fuiſſet interpoſita, corpus ipſum eius in fruſtis compilaſſent, vti iam quoſdam pedum digitos compilauerant: *Sanctum cuncti acclamantes.*

169. Et hoc ipſo extinctus remanſit vultus illius grauis; in placidum, & floridum, atque coloratum protinùs commutatus, qui hominis, magis viuentis, & optimè valentis eſſe videbatur. Corpus quoque reliquum, quod viuens deforme, & fuſcum, carnoſum, & ruuidum, aſperumque erat; eueſtigiò ac vita functum eſt, candidum velut alabaſtrum apparuit; molle verò, & flexibile, ac formoſum, tanquam cuiuſpiam infantuli tenelli duorum annorum: tale perſeuerans toto ſua-

rum

rum exequiarum, quæ quatriduo perdurarunt, tempore; prouti depoſuere vltra centum Teſtes in ſuis Apoſtolicis Informationibus; quorum vnus eſt Pater Petrus de Caſtaneda Lector Iubilatus, ſubiectum ob talentum doctrinæ, & prudentiæ celeberrimum, qui mediante iuramento teſtificatur coram Iudicibus Apoſtolicis, quod dum Seruo Dei iuſta perſoluerentur, Corpus ſuum calidum, fuerit, quaſi hominis viuentis. Hocque ſomno ſanitatis immortalis, parcus in ſe, & charitate profuſus in omnes Apparitius obdormiuit in Domino. Quidnì igitur dormiet vſque illud fœliciſſimum æternitatis mane, quod nullo vnquam veſpere claudetur, & Anima illius cum ipſo delectabitur in æternum?

CAPVT XXII.

De Mirabilibus ſuis Funeris.

170. QVAMQVAM Seruus Dei obijſſet feria ſexta diei vigeſimæ quintæ Februarij, vt prælibatum eſt;eius tamen exequiarum Officium peragi nequiuit vſq; ad diem Dominicum, ob innumerabilem populi concurſum, quo tota Eccleſia,prȩgrandis aliàs,Atrium eius,Clauſtra Conuentus, & Dormitoria complebantur: Venerabile Corpus videre, venerari, ac Roſarijs, & Coronis, panniſque attingere affectantium. Quod deinde abſolutis exequijs, ipſo die Dominico depoſitum fuit in vacuo, quod tunc erat inter murum Altaris maioris à latere Euangelij, & Altaris de Victoria; humatum demùm proxima feria tertia circa ſecundam horam noctis. Sicque quatuor diebus naturalibus, nonaginta ſex horas conſtituentibus, inhumatum perſtitit, vt optatis tantæ multitudinis, illud ſpectandi, percolendi, & ferueſcenti, coram prȩſenti, deuotione implorandi, ſatisfieret.

171. Aſtitere autem hiſcè ſuis funebribus iuſtis, pompa ſolemniori quàm vſquam, optimates quique vtriuſque ſtatus Angelopolitani, & nedùm Capitulum Cathedralis illius cum ſuo Clero, verùm & Magiſtratus cum ſuis Primoribus, alijſque ſuis conciuibus cunctis. Prouincialis item Dominicanorum, & Priores, ac Rectores, cæterique Superiores Conuentuales cum eorum integris Communitatibus, etſi à Religione noſtra nemo inuitatus fuiſſet. Denique vix aliquis in Ciuitate emanſit, qui tam celebri funeri non interfuiſſet, illudque in tàm æmula conciuium frequentia laudibus Sanctitatis, & virtutum ipſius non concelebraſſet. Cui propterea & officium, non Defunctorum, ſed Innocentium Infantulorum decantatum fuit. Prætioſam verò ſui corporis Reliquiam, Digniorum Capituli, & Superiorum Ordinum humeris ſubleuatam, & ad deſtinata loca allatam, tot, tantiſque ſplendoribus præcipuorum ſuorum Sanctorum, vt ſpectabili vniuerſi populi frequentia; cœleſti, ad raptum vniuſcuiuſque fragrantia; indiſcriminatìm Procerum, ac vulgi, ambitioſo obſequio; venuſtate florida; tractabilitate vitali; incorruptibilitate conſtanti; niueo candore; innumeriſq; alijs beati corporis dotibus, illuſtrare voluit Altiſſimus, erga tot, tantaſque virtutes, & merita Serui ſui, quibus illæ ſuæ Diuinæ Maieſtati toto vitæ ſuæ decurſu in ſumma

X 2 humi-

humilitate, & ſinceritate, deſeruiens, mundum, & cuncta eius, ſui totali abnegatione; & abiectione contempſit, & ipſum orbem nouum, à quo tàm impensè colitur, illuſtrauit. Nimirùm.

Sic fragrat roſa ſpinoſo de corpore naſcens.

172. Super qua, tàm illuſtri, cuiuslibet ſtatus, ſua iuxta condecorante frequentia, tantoque ſuarum laudum præconio, iuſſu Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Romani, Portionarius Amarilla ſuus Vicarius Generalis pèr Notarium publicum Antonium Hernandez ſub vigeſima ſexta Februarij anni eiuſdem Milleſimi ſexcenteſimi plenè atteſtatur: necnon & Dignitates, & Præbendarij Cathedralis; Prouincialis quoque Dominicanorum, alijque Superiores Religionum, cum plurimis reliquis prægrauis æſtimationis conteſtibus examinatis. Sed & ipſemet præfatus Dominus Epiſcopus litteris ad ſuam Maieſtatem Catholicam ſub quarta Maij Anni Milleſimi ſexcenteſimi quarti datis; vt totum apparet ex Informationibus.

173. Super incorruptibilitate verò Corporis illius, flexibilitate, teneritudine vitali, atque candore, iurarunt nonaginta octo conteſtes. Et pariter ſuper ſua cœleſti fragrantia, communicata etiam pannis, cæteriſque rebus illud contingentibus. Vtque depoſuere quadraginta quinque conteſtes, aliquot vicibus illo quatriduo, quo inhuma-

humatum retentum fuit, mirificè ſudauit. Et Pater Zepeda, vir ille inſignis, cuius mentio erit poſtea, adijcit, hunc ſudorem Sancti fuiſſe in quodam panno conſeruatum annis non paucis. Ex quibuſdam autem inciſionibus vnguium, & digitorum eius eodem quatriduo factis, ſanguis recens, & optimè coloratus compluries ſcatuit; prouti ſub his, & ſub alijs circumſtantijs conteſtantur ſexdecim teſtes.

174. Præter prænarratos ſui, tot, tantiſque prærogatiuis eximij funeris, ſupernaturales euentus, euenere & alia memoranda mirabilia, vt campanarum ritu ſolemni compulſatio, adeò feſtiua, & ſonora, vt ſpheram auditus naturalis, quod in locis immodicè remotis audita fuerit, exceſſerit, & animos omnium ad inſolitam deuotionem commouerit. Angeli quoque in forma humana in foro quemdam Conſulem ordinarium, & Notarium aliquem cohortantis, quatenùs extemplò ad S. Franciſcum approperarent, & prodigiorum, quæ à Venerabili funere Apparitij patrabantur, teſtimonium perhiberent. Venerabilis eiuſdem Cadaueris reſenſum in feretro indicantis ob præciſionem vnius ſui digiti. Manum etiam cuidam amico ſæculari exponentis in exauctoramentum promiſſi, quo illi ſe obligauerat viuus; vti & cuipiam alij brachium erigentis; & alij oculos proprios aperientis, & claudentis.

Quo

175. Quo ſub ſpatio huiuſcè ſui glorioſi funeris repentina ſanitate donatæ fuere viginti vna perſonæ , varijs incurabilibus morbis affectæ : quarum prodigioſa hæc ſanitati reſtitutio , cum alijs , quę tunc miraculosè occurrere , triginta quinque miracula conſtituunt . Quorum vtique celebre eſt illud, quod ex labro amphoræ difractę ex qua Seruus Dei paulò antequam obijſſet biberat , lilium candiſſimum hoccè ſuorum funeralium officio germinauerit ; vt ſequitur. Quùm enim quædam pia Angelopolitana fœmina æſtuanti ſiti Seruo Dei, hauſtum frigidæ præbuiſſet, in amphora , ex qua domina piæ fœminæ bibere conſueuerat , id illicò reſciens Domina , amphoram , vt quid infectum ab impexo, ægro , & impolito ſene abominata , proijci iubet in ambitum foras ; verùm poſt quàm ſubſenſit prodigiorum ſuorum fama , poſt obitum eius totam Ciuitatem repleri , abruptè compuncta , ſedulò vrceum abiectum perquirit , & in ora eius , quam os Serui Dei ambierat , fragrantiſſimum lilij florem enatum comperit .

CAPVT XXIII.

De Mirabilibus ſui Corporis.

176. ITAQVE vigeſima nona Februarij, vt attactum eſt, humatum extitit Venerabile Corpus Apparitij, nullo prorſus ſiue inſtrati, ſiue capſæ, funebri requiſito inſtructum, ſed immediatè, & fermè nudum, quod in reliquias cuncta direpta fuerint, humo, permiſta calci viuæ, cuius octodecim cophinos, more patrio defunctos ſepeliendi, injecerant, opertum. Hoc tamen nil obtante, poſtquam die decimanona Iulij anni eiuſdem milleſimi ſexcenteſimi, iuſſu Patris Prouincialis, eoque præſente, clam exhumaretur, illicò ac detegi cœpit, tota Eccleſia delicioſiſſima quadam fragrantia, odoreque planè cœleſti redoluit. Quem eius tàm voluptuosè exhilaratiuum odorem, in Eccleſiam exhalatum, ipſæ quoque quibus tectum fuit venerabilē Corpus, calx, & humus, fortitèr retinuerunt.

177. Ipſum verò Corpus nil intabuiſſe penitùs

nitùs, nilque vllatenùs corruptione emarcuiſſe, aut à calce exeſum fuiſſe, quinimò totum integrum, tàm in venis, quàm & in totali carne recenti, candida, & colorata, flexibile, molleque repertum eſt, ac ſi viuum fuiſſet. Super cuius pectus, fruſtum panni, & aliud telæ, vtrumque ſanguine recenti, ac rubente, calidoque tinctum erat. Illaque particula carnis, quam Pater Prouincialis ab vna illius gena exſciderat, adeò nitida, albeſcens, atque recens fuit, vti vnius pulli mox occiſi pectus, admirabili quodam liquore manans, qui etiam chartam, pannoſque quibus ea inuoluta fuit, perſtillabat. Vtque illud integrum, incorruptumque ſic perluſtratum fuit, ita & denuò eadem calce, & humo ibidem contectum.

178. Sicque ſepultùm quieuit per biennium; die autem vigeſima nona Iunij anni milleſimi ſexcenteſimi ſecundi, coram Commiſſario Generali, Prouinciali, & Definitorio, fuit rursùs exhumatum, & planè vt prius integrum, incorruptumque, flexibile, ac tenerum, ſuauiolens, & cum ſanguine recenti, ac rubenti compertum. In cuius ventre, priuſquàm ſepultum fuiſſet aperto, iam poſt biennium euolutus apparuit vnus faſciculus Menthæ, adhuc virentis.

179. Quoniam autem ſocordis cuiuſpiam religioſi, indiſcreta, vel rectiùs ſtolida, & fatua deuo-

uotione, inclytum Corpus, capite exſecto, & deglubitó, quod potiorem eius partem ſuffurari intentauerat, non ſine omnium ingenti mœrore, mutilatum deinceps remanſit; proindè huic irremediabili facinori ſeriјùs prouiſum fuit, vt prætioſus hic theſaurus, nè inpoſterùm deprædari poſſit, in tutiori loco, & ſub ſolertiori cuſtodia, conſtituatur. Quocircà facta apud Dominum Epiſcopum Didacum Romanum iuridica inſtantia, quatenus ſuper illius integritate, & incorruptibilitate, alijſque ſuprà tactis circumſtantijs, & miraculis, præuia canonica inſpectione, plena atteſtatio fieret. Et hac, vt res ſe habebat obtenta, idem inſigne Pignus, in arca lignea, fortitèr ſub tribus clauibus concluſum, fuit denique in vacuo muri Eccleſiæ à latere Epiſtolæ propè portam Sacrarij, poſt collateralem figuram S. Franciſci in Cappella Familiæ Irali, reconditum quinta Iulij anni præmemorati milleſimi ſexcenteſimi ſecundi.

180. Verùm duobus poſt hac elapſis annis, piam Catholici Regis mentem ergà hanc Venerandam Reliquiam, deuotio inceſſit, vt quid tunc ſuper ea perhiberi poſſet, à ſæpiùs fato Domino Epiſcopo D. Didaco Romano, Catholica Maieſtas requireret. Cui reuera regiæ pietati probus actutùm obſequentem ſe exhibens Prælatus, quà regale votum exactiùs obſecundaret,

aſſumpto secùm Capitulo, & compluribus Equitibus ex Nobilitate Angelopolitana, Medicis quoque, ac Chirurgis, quarta Maij Anni Milleſimi Sexcenteſimi quarti, inſigne Depoſitum ſolemnitèr inuiſere adoritur; eodemque in ſua integritate, & incorruptione, qua reconditum fuit, comperto, ad Catholicum Monarcham ſuper hoc pergraue, atque honorificentiſſimum condit, tranſmittitque teſtimonium, ipſius iuſſu formatum à publico Apoſtolico ſuæ Audientiæ Notario, vt conſpici poteſt in totiès fato Proceſſu Apoſtolico.

181. Denique Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, die vigeſima octaua Aprilis, Dominus Epiſcopus Angelopolitanus D. Bernardus Guttieres de Quiros cum ſuis duobus Cõiudicibus Apoſtolicis, in Capella maiori S. Franciſci ſedentibus cum eo pro Tribunali, iuſſu Sanctæ Sedis Apoſtolicæ idem celeberrimum Depoſitum inſpectare debuit coram ſuæ Cathedralis Præbendatis, & Equeſtri Nobilitate Ciuitatis, & coram Medicis, & Chirurgis, cæteriſque ſapientioribus, atque comprimis conſcientioſis. Quibus illi tres, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, in Virtute Sanctæ, & ſalutaris Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis iniunxerunt, vt accuratiſſimè, ſummaque cum attentione recognoſcerent, atque obſeruarent Venerandam Reliquiam,

quiam, necnon ſuper ſua integritate veridicam referrent informationem: eoſdem ſimul ſeriò aduertentes, hanc in ſerie ad Canonizationem Serui Dei eſſe, cæteris arduiorem, diſtrictioremque materiam; in qua haud ſecùs, quàm prout conſcientia vniuſcuiuſque dictat, iudicandum eſt. Quibus ab eis perfectè perpenſis, & ipſa conſpicua Reliquia impigrè perluſtrata, quatuor Medici, & Chirurgi vnanimi, vniformique ſenſu, ſub iuramento perhibuere, incorruptionem eximiæ Reliquiæ, eſſe omnimodè ſupernaturalem, atque miraculoſam. Idque in firmum, & ſolidum ſuæ huius aſſertionis teſtimonium, ſolidis Philoſophiæ, & Medicinæ rationibus comprobarunt. Præter quos alij viginti ſeptem Conteſtes Proceſſus Apoſtolici, idipſum confirmarunt; quorum alij ſunt Cathedralis Præbendati, Theologi, Equeſtris nobilitatis alij. Conſeruatores Ciuitatis item, & nonnulli pergrauis authoritatis, atque timoratæ Conſcientiæ. Hicque planiſſimè eſt ſtatus, in quo de præſenti conſiſtit inſignis Corporis Ven. Serui Dei Reliquia.

CAPVT XXIV.

De Reliquijs illius :

182. EFFICACITER quidèm perſuadetur, Capillos non animari in homine, quod poſt obitum illius, experientia teſte, creſcant, corpori adhærentes ; verùmtamen, quia reſciſſi à corpore, & potiſſimùm inuolucro ſicco obuoluti, cum nullum humorem, quo aliqualitèr vegetari poſſent haberent, nullo modo creſcant, & naturalitèr creſcere nequeant, ſequitur, vt ſicubi ſic exſecti creuerint, id factum miraculosè credamus. Hinc immodica conſideratione dignum fit, quod huius fidelis Serui Dei Capilli inuoluti in quadam chartha, & conſeruati in Scriptorio Licentiati Alphonſi Muñoz Sacerdotis Angelopolitani ſemel, & ſecundò in Scriptorio Ioannis Muñoz de Barua ſui fratris Angelopolis incolæ, notabilitèr creuerint ; vt conſtat per eorundem depoſitiones in Proceſſu Apoſtolico. Et Licentiatus D. Hieronymus Godinez Maldonado Parochus, & Iudex Eccleſiaſticus Xalacingi depoſuit ſub iuramen-

ramento coram Iudicibus Apoſtolicis, quod ſuus Cognatus Petrus Ortiz de Auiles conſeruauerit certos Capillos eiuſdem Serui Dei inuolutos in charta, & repoſitos in ſcrinio, qui creuerunt quatèr longiores quàm fuerant.

183. Ex quibuſdam fruſtulis carnis, & quod ſtupendiùs eſt, ex vno calli, poſt plures menſes, & annos, à corpore diſſectis, profluxit ſanguis recens, & rubicundus vt ex corpore viuenti. Duodeciès autem ex corpore ipſo, atque ex ſuis Reliquijs promànauit quantitas liquoris admirabilis. Quod quoad Sanguinem recentem, & cœleſtem fragrantiam corporis iam defuncti, patet ex tot inſpectationibus iuridicis ipſius, factis ſub anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, & milleſimo ſexcenteſimo quarto, & depoſitione plurimorum Teſtium.

144. Et Pater Alphonſus de Zepeda Franciſcanus, ſubiectum non mediocris doctrinæ, prudentiæ, & virtutis inſignis aliàs ſcriptor trium voluminum librorum prædicabilium; inter reliqua, non pauca Miracula, & heroicas virtutes Serui Dei, quas ſub iuramento coram Iudicibus Apoſtolicis ſeptima dìe Iunij Anni Milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni conteſtatus eſt, aſſeruit quoque quod dum ipſe cum Patre Commiſſario Generali Anno Milleſimo ſexcenteſimo nono, quodam veſpere inniterentur Sepulchro Ven. Apparitij,

ritij, ſuborta fuit ex eo tanta copia odoris fragrantiſſimi, & exhilarantiſſimi, vt totam Eccleſiam, & Sacrarium, atque clauſtra ambo imbuerit, nec deſierit fragrãdo quinquaginta duobus diebus, & noctibus. Ad cuius amœnitatem idem eruditus, & pius vir quotidiè, animi exhilarandi gratia, ad Sacriſtiam deſcendens, inſatiabilem cœleſtis fragrantiæ, parietibus etiam, & pauimenti lateribus à prætioſo corpore impreſſæ, voluptatem attrahebat. Nec defuere alia prodigia Venerabilium Reliquiarum ſuarum; quorum quædam patuere, & quædam mox patebunt; potiora verò denotantur triginta quinque in Proceſſu Apoſtolico.

CAPVT XXV.

De Miraculis operatis poſt obitum Apparitij.

185. APOSTOLICÆ Informationes ſolidè perhibent, quàm liberalis, ſeu potiùs in Miſericordias effuſus fuerit Dominus ab alto, ad interceſſionem huius Serui ſui, etiam vita functi, largiendo gratias quorumlibet prodigiorum, pecu-

peculiaritèr ſubitarum curationum, quamuis in vltima periodo vitæ conſtitutis, & quibus iam cereus morti prælucebat in manibus, cum de omni humano ſuffragio deſperarent. Quorum longum exhibentes Cathalogum ſpecificè Aduocati Cauſæ Canonizationis illius, ego in genere preſsè hæc ſubiungo.

In doloribus, ægritudinibuſque incurabilibus Capitis, vultus, oculorum, aurium, nariumque, centum quadraginta duo Miracula operatus eſt, compræhenſis, & cœcis, quibus viſum reſtituit.

In doloribus Dentium, alijſque irremediabilibus morbis Anginæ, pectoris, ſtomachi, torminum, Dyſuriæ, brachiorum, tibiarum, crurium, centum quadraginta quatuor Miracula.

In Hernijs infantulorum, & prouectæ quoque ætatis hominum, triginta ſeptem Miracula.

In malis matricis, cordis, iliorum, pleuritidum inſanabilium, triginta ſeptem Miracula.

In inualetudinibus ſtupiditatum, attractione membrorum, puſtulationum, vlcerum, ſuppurationum, & apoſthematum, profluuiorum ſanguinis, & eiuſmodi malorum irremediabilium octoginta quinque Miracula.

In febribus, dyſentherijs, vulneribus lethalibus, & huiuſmodi, quibus nullum remedium repe-

reperiebatur, quadraginta nouem Miracula.

In petiginibus, ac peticulis incurabilibus quinquaginta quinque Miracula.

In partibus lethalitèr periculoſis centum ſexaginta nouem Miracula.

In obtentu prodigioſo conualeſcentiæ ex diuerſis inualetudinibus, quarum hic ſpecificatio non fit ob nimiam prolixitatem, octoginta duo Miracula.

In abigendis tempeſtatibus, & ſignantèr grandinationum, in terra, quàm etiam ventorum in Mari; inque varijs ſuffragijs, non modò hominibus, ſed & brutis allatis; atque in multiplicibus alijs caſibus admirandis, centum quinquaginta ſex Miracula.

Viginti, & vna vicibus inuocatus, ſibi deuotis, corporalitèr, & intellectualitèr apparuit, eiſque pro qua illum deprecabantur, opem tulit.

Nihilominùs, quia expreſſio ſpecifica Miraculi, acceptior eſt, magiſque arridet legentibus, & efficacior fit ad promouendam deuotionem Sancti, cuius eſt; proindè vnum, vel aliud cuiuſlibet ſpeciei ex prænumeratis hìc ſubnecto.

Itaque Sacerdos Bartholomæus de Eſpina, contracto ex àere frigido in oculis morbo, quibus nubeculæ obductæ erant, viſum amiſerat; at vbi admouit ſibi digitum Ven. Apparitij, paululum obdormiens, & inde experrectus, lu-

men

men oculorum perfectè recuperauit, morbo penitùs propulſo.

Agnes Rodriguez ex accidenti apopletico os in alterum latùs habebat extortum, voto autem nouenæ in honorem Serui Dei facto à matre, nona die incolumis abſque omni pharmaco euaſit.

Petrus Gonzales de Palacios ingenti catharro læſum habens oculum, tactu Reliquiæ Serui Dei, confeſtìm ſanatur.

Eleonora Rodriguez ob morbum cerebri ſtupida effecta, cum maximo vitæ diſcrimine, ſed tacta cingulo Ven. Serui Dei, protinùs ſanitatem nacta eſt.

Auguſtinus Mendez ex dolore in aureà quatuor annis euaſerat ſurdus, cui tamen admoto digito Ven. Serui Dei, extemplò auditus, perfectè reſtituitur.

Eleonora Suarez dirum morbum à quinquènnio in oculo gerens, tactu corporis Serui Dei, ab eodem morbo repentè liberatur.

Didacus Lopez ingenti capitis dolòre excruciatus, ad tactum cinguli Serui Dei illicò ſanatur.

Fabianæ puellulæ cicer penetrauerat vnam ex naribus, quo ipſa miro modo cruciabatur, ſed tacta fruſtulo cinguli Serui Dei à matre, illicò cicer excidit, puellaque libera extitit.

Maria Maura à morbo in oculo, quo hic putrefieri videbatur, ad tactum cinguli Serui Dei immediatè liberatur.

Catharina de Riuera ab vtero tumorem gerebat ſuprà cilium, cum graui vultus deformitate; quem tumorem Medicus iudicauit eſſe ſcirrum, curatione difficillimum; commendata tamen à Matre puella Seruo Dei, extemporè ſcirrus ille euanuit.

Maria de Hierro ob grauiſſimam infirmitatem, & gummam in illius fronte exortam, à Medicis expedita fuit, & bis extremam Vnctionem percepit, ſed ab illius fratre impoſito eius cranio modico puluere Sepulchri Serui Dei, mirè ab omni tali morbo reſanata eſt.

Anna de Mercado Conſors Ioannis de Arellano Gubernatoris forti aſmate oppreſſa, ad tactum ſudarioli, quod Corpus Serui Dei tetigerat, actutùm perfectè ſanatur.

Maria Prieto de Spinoſa, mulier nobilis, ſupra decem annos apoſthema gerebat in pectore, & cum poſt plurima remedia Medici morbum incurabilem reperijſſent, breuique ex eo mulierem morituram pronuntiaſſent, ipſa puſillum pulueris è terra Sepulchri Serui Dei apoſthemati admouit, & repentè ſomno conquieſcens, de mane incolumis euigilauit.

Eadem terra Sepulchri Ven. Serui Dei tacta puel-

puellula trium annorum, protinùs à vehementi tuſſi, & oppilatione, à quibus proximè moritura erat, eliberatur.

Ioanna puella adeò graui aſmate vexabatur, vt halitùs procùl perſonaret, admota tamen eius pectori particula veſtis Serui Dei, ſtatim obdormit, & miro ſudore emiſſo, ſana expergiſcitur.

Bartholomæus Parexo Medicus ex humore bilioſo, & cholerico, in ſtomacho diris ſimptomatibus affligebatur, ſed adhibita Reliquia Serui Dei, actutùm dictum humorem euomuit, & incolumis euaſit:

Nicolaus puer graui morbo in ventre oppreſſus, à Medicis minimè cognito, ideoque ad mortem proclamato, euadit repentè ſanus voto à Matre emiſſo in honorem Serui Dei.

Maria Ibañes ſcarantia grauiſſima affecta, vt reſpirare vix poſſet, admota tamen Reliquia Serui Dei, immediatè ſomno corripitur, & euigilans à morbo penitùs liberatur.

Beatrix de Gallegos ob tumorem gutturis per tres dies nil cibi ſumere potuit, quo inualeſcente, in maximo vitæ diſcrimine conſtituta, parùm terræ Sepulchi Serui Dei in aqua ebibit, & illicò tumor euanuit, & ipſa incolumis euaſit.

Auguſtina de Naua brachium habuit à natiuitate attractum, vt eo vti nequaquam poterat; ad Copus tamen Ven. Serui Dei ducta, illud, vt va-

luit tetigit, manum deperditam mouit, & totum brachium ad omnem vſum idoneum obtinuit.

Ioſephus puer trium annorum à natiuitate mutus, aridamque tibiam habens, nouenæ voto ab altero ex domeſticis emiſſo, nona die liberè locutus eſt, & expeditè ambulauit.

Iſabella de Velaſco ſæuo aſmate octodecim annis afflictata, ad tactum Reliquiarum Serui Dei, abſque omni medicamine reſanata fuit, & inperfecta' ſanitate vixit.

Apolonia de Peralta prorsùs aridas mamillas, vt nec guttulam lactis infanti præbere potuiſſet habebat, admotis tamen Reliquijs Serui Dei paulò poſt ingens copia lactis ex eius vberibus promanauit.

Franciſcus Granado per quinque Menſes in brachijs, & cruribus acerbiſſimos dolores ſubſtinuit; & Ioannes filiolus eius triennis, vexilli haſta, occaſione publicæ feſtiuitatis, ab alto lapſa percuſſus, & proindè ſemianimis in terram concidens; tacti tamen digito Serui Dei, ſani; & incolumes effecti ſunt.

Catharina Ruiz acerbiſſimo dolore dentium excruciata, accerſiuit Chirurgum, vt alterum ex eis euelleret, interim autem admoto illi fruſtulo veſtis Serui Dei, dolor immediatè extinguitur, & paulò poſt medietas dentis putrefacta à ſe excidit, alia medietate in ſuo loco ſana

per-

perſiſtente, abſque eo quod ampliùs vnquam dolorem ſenſerit.

Laurentius Diaz, & Ioanna de Aguirre eius Socrus, dolore capitis ſæpiùs laborantes per temporis interuallum, ſed quotiès ſibi imponebant pileum Serui Dei, totiès illicò dolor ceſſabat, nullo alio remedio adhibito.

Iſabella de Sotomaior à plaga per quatuor Menſes in mamilla vexata, admotis Reliquijs Serui Dei confeſtìm ſanatur. Ita & Franciſca de Aguilar, & plurimę aliæ.

Ioannes Baptiſta Garzia adeò latum in gutture vulnus receperat à pugione, vt halitus ex eo proſiliens candelam accenſam extingueret; dùm autem vxor illi applicuiſſet fruſtum veſtis Serui Dei, repentè à febri, qua ob id premebatur vehementer, liberatur, & paulò poſt à vulnere.

Didacus Mendez ætatis annorum ſeptem natus erat diſtortis horrendè pedibus, ſed implorato, ab altero ex domeſtis, Serui Dei auxilio, protinùs pedes obtinuit rectos cum mirabili apparitione eiuſdem Serui Dei.

Chriſtophorus puer vrinam retinens per plures dies cruciabatur, ſed hauſtu aquæ, cui immixta erat terra Sepulchri Ven. Serui Dei, ſtatim emiſit lapidem, & ſanus remanſit.

Ioannes de Cardenas filiolus ſeptem menſium delapſu anaclinterij ſuper cunam, in qua iacebat,

cebat, herniam contraxerat, inuocato tamen Seruo Dei ſuper eum, ſanus confeſtìm apparet.

Ioannes Bonauentura annorum quindecim hernioſus à natiuitate, tactu Reliquiæ Serui Dei ſtatìm ſanus euadit. Ita & filius Andreæ de Soria, & Ioannes de Alcala, & alij plurimi ab vtroque latere horrendè, ac periculosè hernioſi, quod Seruus Dei eodem morbo diù dirè afflictus fuerit, eis deìn gratioſior, & liberalior ingenita compaſſione, quàm alijs ſemper extitit; proindè ad inuocationem illius protinùs liberati fuere.

Iſabella de Matta pleuritide laborans, poſtquam nullis remedijs liberari valuit, Reliquijs Serui Dei ſubitam ſanitatem nanciſcitur.

Philippa Maura à nimio fluxu ſanguinis tacta Reliquijs Serui Dei, in eodem inſtanti redditur ſanitati.

Maria Vaſquez ex retento menſtruo pluribus medicamentis in caſſum adhibitis, vehementi fluxu ſanguinis afflictatur cum ſuæ vitæ euidenti diſcrimine, ſed vix preces fudit ad Seruum Dei, fluxus ceſſauit. In quo etiam morbo protinùs abigendo ſingularis fuit Seruus Dei.

Ioannes Baptiſta Garzia à Peticulis, & febri proximè moriturus, è cuius ore cadaueroſæ iam muſcæ prodibant, implorata ope Serui Dei, perfectam conſequitur ſanitatem.

Maria Rodriguez ob prolapſum ex equo, in vte-

ro fętum mortuũ gerebat, ſed implorata ope Serui Dei,eundem fœtum viuum fœlicitèr parit.

Eadem Maria Rodriguez herbam venenoſam, quam Vulcani fruticem appellant, comederat, vnde iudicij expers effecta, per viginti quatuor horas extra ſenſus rapiebatur,inuocata tamen ope Serui Dei,illicò perfectę valetudini reſtituitur.

Maria Garzia puella vareolis productis febri cruciabatur, ſed oblata Seruo Dei, vareolis retrocedentibus, febris etiam illicò receſſit, & perfectè reſanata fuit.

Maria Enriquez ex diro partu ſanguinis fluxu ad mortem adigitur, iamque loquela priuatur, ſed applicatis Reliquijs Serui Dei immediatè incolumis euadit.

Ioanna Cid apoſthemate ad mortem redacta,adhibita Reliquia Serui Dei de repentè ſanatur.

Hieronymus Perez vareolis peſtilentialibus, quibus cæteri pueri infecti interibant excruciatus, tactu Reliquiarum Serui Dei mirè ſanatur.

Mariæ de Burgos noctu per domum incedens, candela, quam gerebat extincta, in horrorem incidit, & exterrita opem Serui Dei implorat,protinùſque candelam accenſam obtinet.

Iſabella Garzia vterino morbo ad extremũ vitæ perducta parùm vini expetijt; cum autem hoc haberi non poſſet, fiducia in meritis Apparitij, qui illud ſibi ægro, & laſſo, dum naturalitèr

habe-

haberi non poterat, cœlitùs prouidebat, fixa, & vaſculo vacuo, quo detineri vinum conſueuerat, ſibi afferri iuſſo, ex eo vinum mirè in crateram effudit; quo ebibito, ipſa actutùm conualuit, & reſanata fuit.

Vir probus, Sanctitati Ven. Serui Dei addictus, cum poſt obitum in quadam tabella depingi curauerat, at improbus alter eandem abolere non erubuerat, verùm hydropiſia illicò tactus, & pauló poſt fœda morte in pœnam execrandi facinoris percuſſus.

Dominicus Palma Indus à ſpiritibus malignis obſeſſus, admotis Reliquijs Serui Dei liberatur.

186. Segetes Dominici Perez oſtenſo cucullo Serui Dei præſeruantur à turbine, qui contiguos deuaſtauerat agros. Ita, & Ioannis Guerrero ad oſtenſionem pilei Serui Dei à grandinante Cœlo prædium non tangitur.

187 Cingulum Ven. Serui Dei mirabile fit mulieribus cunctis in partu periclitantibus.

188. Adauget conceptum ſuæ Sanctitatis caſus, quem coram Iudicibus Apoſtolicis depoſuit Ioannes Guttierrez de Gueſca Angelopolis incola, quod nimirùm ſuus frater Ludouicus Guttierrez mortuus 10. Septembris anni 1660. apparuerit Michaeli de Origuen Ciui Angelopolitano circa horam quartam (decimã apud Hiſpanos)

nos)noctis diei eiuſdem, inque cætera eidem cō.
miſerit, quatenus ſuo fratri diceret, vt pro ſuble-
uamine ſuarum pœnarum quantocyùs curet in
Altari Priuilegiato Cathedralis ſex Sacra, & qua-
tuor ad Sanctum Apparitium in Altari apud ſuum
Sepulchrum condito, celebrari; quod confeſtim,
& peractum, illeque à pœnis abſolutus. Quam ap-
paritionem conteſtantur (mirabilibus circumſtan-
tijs) ipſe Michaël de Origuen, ac Parentes eius.

CAPVT XXVI.

De Mortuis ab eo reſuſcitatis.

189. VELVTI ſimile ſimili gau-
dere oportet, ita inno-
centem Apparitium ergà
innocentes propenſiorem
extitiſſe neceſſum fuit.
Quamobrem potiora Mi-
racula, quæ patrauit, in-
noxiam infantibus vitam, præſertim inopinatò
adeptam, concernunt.

190. Et quidem Anno milleſimo ſexcente-
ſimo in menſe Martio non multò poſt obitum
Serui Dei pro mortua infantula ſua, Maria nun-
cupata; ætatis annorum duorum, parentes illius
Ioannes Nuñez, & Ioanna Duran incolæ An-
gelopolitani non nihil mœſti, ad merita, & inter-

ceſſionem Apparitij confugiunt, eumque pro filia feruentèr deprecantur, & ſimul fruſtulum carnis de pollice illius exciſæ ſuper corpus defunctæ imponunt; hocque facto viuam filiam poſt paucas horas recipiunt, meritis eiuſdem ſui apud Deum Aduocati.

191. Sic, & Petrus Morales inhabitator Pueblæ cum ſua Coniuge Eleonora Rodriguez filiolum eorum mortuum anno milleſimo ſexcenteſimo octauò, meritis Viri Dei commendantes, eidemque defuncto pannum, quo ſudor Venerabilis illius corporis fuit exterſus, ſuperimponentes capiti, viuum, ſanumque, atque vegetum, & fortem repentè receperunt.

192. Item prima Ianuarij anni milleſimi ſexcenteſimi ſexti biennis infantula filia D. Didaci de Salzedo, & Albornoz, ac D. Mariæ Lopez de Padillia ſuæ Coniugis, Ciuium Angelopolis, nomine Andrea, in conductum aquæ, ad molendinum, non procul Carmelo, effluentis lapſa, inibique ſuffocata, à ſubterfluente quatuor domos ipſa conductitia, demortua demùm exacta fuit, & à Maria Luiſa, lintea penès eluente collecta, ſuiſque genitoribus reddita; qui confeſtim ad Seruum Dei confugientes, eam meritis eius ad vitam reuocatam viderunt: Sanctimonialem dein S. Clarę Atriſci, ſub nomine Andreæ à Sancto Michaele effectam. Quem caſum conteſtantur

tur quinque teſtes Proceſſus Apoſtolici.

193 Et anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo in quadam habitatione vicina Angelopoli petulans Caballus enecat Ioannem Baptiſtam puellum quinquennem orphanum Ioannis Baptiſtæ Garzia habitatoris Angelopoli; quem hic, parèntibus, & vita, ſic miſerè orbatum, viri Dèi miſerationi fiducialitèr recommendat, & nedùm eueſtigiò viuum, ſed & perfectè ſanum, incolumemque ab eo obtinet.

194. Anno quoque milleſimo ſexcenteſimo decimo bimulam ſuam filiolam defunctam Ioannes de Nagera agricola, & incola Natiuitatis cum Conſorte ſua Eleonora Rodriguez Serui Dei interceſſioni, ac meritis, feruida deuotione commendantes, rediuiuam impetrant.

195. Angelopolis verò delapſu ingentis trabis ſuper caput Ioannis bimi filioli Ioſephi Ortiz, & Mariæ de Salmeron, negotiatorum è vico S. Rochi, illud ſibi fruſtratìm difringitur, & ipſe vnà perimitur; verùm precationibus parentum ad Seruum Dei fidentèr factis, ac fruſtillo ſuę venerandæ carnis difracto eiuſdem capiti appoſito, reuixit perindè ſanus, & incolumis, ac ſi vllius rei ictu illæſus fuiſſet.

196. Natiuitatis verò quædam Inda Ioannis de Nagera pepererat infantem mortuum, cui Eleonora Rodriguez Ioannis repetiti vxor, deuo-

tiſſimè Chordam, qua præcingebatur Vir Dei, apponens, eundemque ipſius commiſerationi obſecrantèr recommendans, vita donatum obtinuit.

197. Angelopolis iam totiès, & anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Nicolaus puer Maurus fuſcus mancipium D. Bartholomæi de Naruaez Commendatoris Equitis, ex Ordine S. Spiritus, & ſuæ tori Conſortis D. Catharinæ Perez, decidens ex præalta eorum domus feneſtra ſuper vnum aceruum lapidum, interijt; conſtanti tamen ſuæ Dominæ fiducia, Venerabilis Apparitij, cuius illa propinqua erat, gratiæ commendatus, poſt quatuor horas, quibus particulam habitus eius ſuper pectus retinuit, reuixit, totus veges, & omnis læſionis expers.

198. Eiuſdem Dominæ Catharinæ Perez anno ſequenti aliud mancipium, Simon nomine, biennis puerulus Maurus fuſcus, pari caſu delapſus ab alto in atrium domus lapide ſtratum, illiſus expirauit; piæ nihilominùs heræ ſolito ad ſuum Conſobrinum Apparitium recurſu, illicò vitæ reſtitutus fuit, adeò viuax, & ſoſpes, vt ſeipſo agilitèr erectus ad pedes, de infortunio perpeſſo ſubriſerit.

199. Quæ omnia tanquam ſub iuramènto conteſtata in Informationibus Apoſtolicis ſic extendere oportuit; alia verò non pauca huiuſcè

generis prodigia, & innumera in quibuſuis alijs materijs, ac indigentijs humanis, quæ Dominus meritis iſtius potentis Serui Sui operatus eſt Angelopolis, Jalapæ, & in reliquis huius Diœceſis locis, ante, & poſt deceſſum eius ab hac vita, quamquàm publica voce, & fama notoria, quod necdum ſint authentica, his non interſeruntur.

CAPVT XXVII.

De conſtanti fama Sanctitatis illius.

200. SIVE de conſtanti, quà ſolida, ſiue quà patente Apparitij Sanctitate perconteris, is tibi eò inſignior apparebit, quò vtrinque Virtutibus vniuerſis refertus, vt ſol radijs palàm cunctis reſplenduerit. Quippè cum Sanctitas ſit ſancita in Virtutibus firmitas, & latè hucuſque patuerit, ipſũm ab infantia ſua ad obitum vſque in Virtutibus dumtaxàt inconcuſſa ſtabilitate perſtitiſſe, nec vlla vnquàm labe, ſiue oris, ſiue operis, inquinatum fuiſſe; vt præter prænobilem cateruam Teſtium in Iudicio Apoſtolico auditorum, & tot eius Miracula, communis perhibet

fa-

ſama; neceſſariò infertur conſtans Sanctitas illius; nec quid minimùm illi deeſſe ad eam, præter extrinſecam denominationem Pontificiæ ſanctionis, qua, velut ſacra lege, cum terrore pœnæ lata, ab omnibus percolatur, Sanctus. Vti namque infirmitatem, tùm Corporis, cùm Animæ, ſurgere credimus ex impuritate, ita & Sanctitatem ex firmitate, & conſtantia Virtutis: Vtique ſolidata quolibet Apparitij actu; vt fusè prętextum eſt. Conſtantem verò, ſeu firmam Sanctitatis eius famam extitiſſe ſemper, ambiguè haud quaquàm cenſeri poteſt ab vllo. Siquidèm tàm à fœlici
201. tranſitu ipſius, quàm & quoad vixit, in toto illo Mexici Regno, & partibus adiacentibus, in locisque quibus innotuit, fama Sanctitatis ſuæ, nec delituit, quia ſeipſa viluiſſet, nec deſueuit, quia per contrariam infirmata fuiſſet, nec obtorpuit, quia cultoribus caruiſſet: quinimò quod in ijs cunctis regionibus ſibi nec laudator defuerit, nec obtrèctator affuerit vnquam, conſtans, firma, &
202. ſolida perdurauit perpetuò. Idque nè gratis aſſeri arbitretur, trecenti & duo teſtes vndique collecti, & examinati à Iudicibus Apoſtolicis, ſub iuramento, ſubque quibuſuis alijs ſolemnitatibus, vnanimi, ac concordi ſenſu, vt refertur in Informationibus conteſtati ſunt, & aſſeuerantèr, ac iure iurando ſub hac ſpecificatione affirmarunt, vtpotè, quod Ven. Seruus Dei Frater Sebaſtianus

ab

ab Apparitio, Pueblæ Angelorum, & in toto Regno Mexicano iſtius Nouæ Hiſpaniæ, inque cunctis alijs Prouincijs adiacentibus, & locis, quæ frequentauit, queque ſui agnitionem, & notitiam iniere, ante, & poſt obitum illius, ab omnibus Chriſtifidelibus vtriuſque ſexus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, nobilibus, & ignobilibus, communitèr, palamque, tentus, creditus, & reputatus fuit, & de facto tenetur, creditur, & reputatur, Vir oppidò religioſus, integerrimus, humillimus, iuſtus, caſtus ſimpliciſſimuſque, ſuæ Diuinæ Maieſtati apprimè charus, & fidelis. Propugnator fidei ſtrenuus, & Catholicæ Religionis zelantiſſimus, dotatus eximia charitate erga Deum, & Proximum, necnon admodùm ornatus qualibet alia Virtute. Cuius effigies à die ſui obitus ad hodiernum vſque fuere ſculptę, impreſſæ, depictæ, & in honore conſeruatæ; quod ipſum fit, & de facto. Erga quem cuncti præmemorati Chriſti fideles ſumma deuotione honore, & obſeruantia exarſerunt, & nil minùs ad præſens exardeſcunt. Qui proindè eundem nedùm in vita; ſed & in obitu, poſtque, credentes Sanctum, nunc in cœleſti gloria, & æterna beatitudine, intuitiua Dei Viſione, & fruitione potitum, de ſuaque iam ſecurum, & de noſtra ſalute ſolicitum, illius implorarunt, & non deſiſtunt implorare ſuffragia in quibuslibet ſuis viciſſitudinibus,

angu·

anguſtijs, inualetudinibus, periculis, egeſtatibus, & preſſuris, firmitèr tenendo, quòd interuenientibus ſuis meritis, conſequerentur apud Deum optata remedia ſalutis, fierentque participes cœleſtium gaudiorum: Cuius interuentione patrauit Deus plurima Miracula in ipſo ſuo obitu, ante, & poſt ipſum. Quod totum fuit, eſtque publicum, notorium, & manifeſtum. Cuius ſemper fuit, & eſt publica vox, opinio, & fama conſtantiſſima Sanctitatis.

203 Quorum teſtium ſuper hoc Articulo examinatorum ex quolibet ſtatu, & gradu, conſpicuiores dumtaxàt exprimo; ſuntque.

Doctor D. Franciſcus Gallegos Oſſorius Decanus Cathedralis Angelopolitanæ. Doctor D. Antonius de Auila Cantor eiuſdem. Doctor D. Gaſpar Morenus Canonicus Magiſtralis. Doctor D. Antonius Terbantes Canonicus, & Commiſſarius S. Officij. Licentiatus Melchior Marquez de Amarillia Portionarius, & Viſitator Generalis. Lìcentiatus Melchior Aluarez Parochus Cathedralis. Licentiatus Franciſcus de Baeza Parochus S. Ioſephi cum alijs vndecim Sacerdotibus ſæcularibus.

Magiſter Pater Hyacinthus de Cagica Prior S. Dominici. Pater Bonauentura de Paredes Prouincialis Prouinciæ S. Euangelij Mexici. Pater Ioannes à S. Anna Prouincialis Prouin-

uinciæ S. Didaci. Pater Petrus de Caſtañeda Guardianus Conuentus S. Franciſci Angelopolis. Pater Petrus de Eſpinoſa Guardianus Conuentus S. Antonij Angelopolis. Pater Alphonſus de Zepeda, alibi nominatus, cum alijs quatuordecim Sacerdotibus Regularibus.

204. D. Triſtanus de Luna, & Arellano, Mareſchallus Caſtellæ, & Gubernator ſupremus Angelopolis. D. Nicolaus de Villanoua, & Guſman, Iudex Ordinarius. D. Didacus de Villanoua, & Guſman Conſeruator. Petrus de Vriue Conſeruator. Dominicus Macchorro Conſeruator. Petrus Fernandez de Aſperillia. D. Gabriel de Alcantara, cum pluribus alijs de gubernio, & Communitate Laicali: omnes Viri nobiles, virtute, & authoritate præclari.

205. D. Beatrix Zapata Conſors tori Mareſchalli. D. Eleonora Eſcalante Conſors tori Conſeruatoris Macchorro. D. Maria Gomez Vaſconzelos conſors tori Conſeruatoris Carmona. D. Franceſca de Medina Conſors tori Antonij Armixo. D. Clara Seron Conſors tori Marci Rodriguez Zapata Scriptoris Capituli, cum compluribus Dominabus Religioſis, cæteriſque principalioribus.

206. Et ipſe D. Epiſcopus D. Didacus Romanus, in ſua Epiſtola ante hàc commemorata, ſuper eadem Sanctitatis Viri Dei ſolemni, ac

publica Fama, quodque communitèr ab omnibus pro Sancto celebretur, ampliſſimè teſtificatur. Vt & Doctor D. Ioannes de Vega Decanus Cathedralis Angelopolitanæ, Commiſſarius Sanctiſſimæ Cruciatæ, & Iudex Apoſtolicus huiuſce Cauſæ; qui in Epiſtola ad Dominos Cardinales Sacræ Rituum Congregationis data nona Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octaui contenta in Proceſſu, expreſsè aſſerit, quod deuotio, quam populus retinet erga hunc Seruum Dei, aſſiduè concreſcat, ex quo, & ſua Miracula affatìm crebreſcant: adeò vt, ſi ſaltem ea, quæ Diuina Bonitas mediante huius Serui ſui inuocatione operari dignata fuit, poſtquam ceſſatum eſt ſuper ijs perquiri, ac procedi authoritate Apoſtolica, vtique multo craſſius, longeque auctius volumen eorum ad Eminentiſſimos Patres conſcribere, & tranſmittere oportuiſſet, quam quod
In Euāg lib. 2. Hom. 29. conſcriptum, & tranſmiſſum fuit. *Miracula autem probant Sanctitatem*, vt ait S. Gregorius. Et S. Bonauent. in Compend. Theolog. tract. 8. q. 30. Et potiſſimùm ea, quæ fiunt à Sanctis in eorum obitu, & poſt; (nam & Magi per incantationes quædam prodigioſa; quæ ſcilicèt ſupra vires, & ordinem naturæ eueniunt, & apparenter miracula, vel potiùs mirabilia dici poſſent, viuentes dumtaxat, dum nempè adaptant verba incantamenti rebus, ad id ſua virtute procliuibus,

bus, vel etiam actuali vſu ſolorum verborum;moliuntur) tunc enim cenſentur Deo, non modò virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis coniunctiores, & ideo ad Miracula potentiores, ſed etiam quod poſt obitum euacuata iam Fide, & Spe, Charitate conſumata, & indefectibili, plenitudinem virtutis ad miracula ſint aſſecuti, iam Deo intuitiuè coniuncti. Quapropter & Eccleſia finem Sanctorum præ vita eorum accuratiùs expendit dum de eorum Canonizatione pertractat, iuxta Decreta Vrbani VIII. in quibus hæc ſubnectuntur: *Illud maximè, ac præcipuè obſeruandum eſt, vt videatur exitus vitæ illius, qui petitur Canonizari: quia cum, vt dicitur, exitus acta probet, ſi finis vitæ illuſtris, & Sanctimonia plenus fuerit, argumentum erit, quod actiones anteactæ potuerint eſſe Sanctæ.* Ratio horum eſt, quia cum ratio Virtutis in habitu conſiſtat, iuxta Philoſophos, & Theologos; in extremo vitæ Sancti agone, quando ſenſus, & potentiæ naturales violentia morbi, & ſeparationis Animæ, oppreſſæ, impediuntur ſuos actus naturales exequi, cognoſcentur habitus virtutum ab illo in vita aquiſiti, ſi tunc talium virtutum actus per ſenſus, & potentias naturales, ſic vi talis luctæ ſuppreſſas exercuerit; vt proferendo verba pia, ſuſpiria; exhortationes ſanctas, abiurationes hoſtis, & huiuſmodi; piè quoque mouendo, & componendo corpus totum erga Deum,

Pag. 23 in fin.

& Diuina, ad Sanctam intuentium ædificatio-
nem. Hi namque actus, qui aliàs exequi nequi-
rent, talium habituum virtutum in vita nacta-
rum, ſunt effectus, & ſigna Sanctitatis conſtantis.

207. Iuxta quæ, quis non certo certius, & infallibilitèr, noſtri Apparitij finalem hanc Sanctitatem eius inferret, ex tot ſanctiſſimis actibus, & motibus in vltima illa ſuæ vitæ linea productis, quos ſuperiùs Cap. de tranſitu illius, percenſui; exque ijs, quos cum tot miraculis, venerabilis ſui corporis iam vita functi, Reliquia edidit, vt Capitibus ſequentibus pertexui; ſignantèr verò inuſitatus ille proſiliendi ex lecto obuiã Auguſtiſſimo Sacramento Altaris actus, & mox mox morituri coram eo in genua prouolutio, nil vehementi aperimentis morbi, nilque bicipitis enormitate herniæ obſtante; vt paritèr & ſuper nudam humum extenſi, mortis exceptio. Quis etenim vllatenùs ambigere poſſet, inſignes hos, & pijſſimos actus; vtpotè, & ſanctiſſimè ab hac vita decedentibus inſuetos, dùm in puncto illo vitæ cuncti iam ſenſus, ac naturales potentiæ viribus ſuis deſtitutæ, magis peremptæ, & enecatæ cenſeantur, quàm viuentes, à ſoliùs maximæ fidei habitu, viuente Apparitio per continuos actus ad ſupremum gradum aucto; exertos, & exercitos tunc fuiſſe? Cui propterea quis & negare poſſet, in virtute tantæ Fidei ſanctitatem, & gratiam miraculorum, cum

di-

dicatur: *Et fides, quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.* A Aug Apoſt. cap. 3.

208. Quiſuè ex tot beati corporis dotibus, quas in ipſius immediatè poſt obitum, refloruiſſe infinitus pœnè tunc populus conſpexit, ac præcipuè, vt prætactis Capitibus expreſſi, ex niueo candore defuncti, quod viuum ſubnigrum, & fuſci coloris erat; ex teneritudine, ac mollitie infantili, dum viuum ruuidum, & ex aſſiduo labore aſperrimum fuerat; ex ſanguinem recentem, & rubicundum, atque ſudorem mirum emanante; ex perenni incorruptibilitate, & fragrãtiſſimo odore illius; ſanctitatem conſtantem non argueret? Exque hoc vnico præ cæteris miraculo, quod Petro Martinez, ſibi adhuc viuenti amiciſſimo, manum ex feretro porrexerit, eum ſic aſſecurans, quod ſit interceſſurus ad Deum pro eo, prouti ipſe Petrus ab illo popoſcerat. Quibus cum reliquis tunc, & vſque ad præſentes dies operatis portentis, vtique conſtantiſſima deducitur, & ſanctitas, & ſanctitatis eius Fama, vt nec conſtantior optari poſſit, nec firmioribus fundamentis conſtabilita. Eòque magis, quod illum Sancti Apparitij vocabulo populus vniuerſus extunc vſque ad hodiernum diem, & non ſecùs perpetuò appellauerit. *Conſentiens autem fama, rem confirmat, de qua quæritur*: Ex reſcripto Adriani Imperatoris ad Valerium. l. teſtiũ. ff. de teſtib.

Cum-

209. Cumque hæc tria potiſſimùm exigantur per præallegata Vrbani VIII. Decreta, vt ex Pontificia ſanctione noſter Apparitius, non modò nouo, ſed toti Orbi, Sanctus affulgeat, vtpotè, *Conſtans fama Sanctitatis eius, vita virtutibus refulgens, & Miraculis fulta*; hæc in gradu heroico ipſum poſſediſſe, ijſdemque paſsìm, atque heroicè emicuiſsè, nulli hactenùs ambiguum eſſe potuit: nec per conſequens vlli Canonizatio ipſius incerta. Faxit Deus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, vt qui, tàm conſpicuo Seruo ſuo, famam conſtantem Sanctitatis, Vitam Virtutibus micantem, & Miraculis firmatam, velut tres cœleſtes gemmas in teſtimonium veræ illius Sanctitatis, qua æterna in cœlis gloria perfruitur, tribuit, coronidem quoque ſanctitatis eius in terris, eandem ſcilicèt Canonizationem ipſius donet in ſua Eccleſia, & tunc verè lætemur in multiplicatione Sanctorum ſuorum. Cui perpetuus ſit honor, & gloria: Amen.

pag. 50. Iac. c. 1. Ex Prouerb. cap. 29.

APPEN-

APPENDICVLA
VITÆ VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM
VEN. SERVI DEI
FR. SEBASTIANI
APPARITII
SVPER LIGELLO

Quod vulgò TVGVRIVM S. APPARITII nuncupatum eſt.

Ab eodem Authore Operi ſubtexta.

ANCIPITI foret nonnihil argumento dirimendum, animalne rationale homo ſit cum Peripatetico metaphyſicè definiendus potiùs, quàm rhetoricè cum facundiæ Principe, animal mundi contemplatiuum, & admiratiuum. Cum tantum differre videatur myſtico intellectu per contemplationem, quantum metaphyſico per rationalitatem ab omni quod rationis expers eſt. Hincquè eſſe, quod priſci ſapientes, contemplatiuos viros inter Heroës computantes, eos

Cic. 2. de Nat. Deor.

eos tantum præſtare cæteris hominibus, quantum hi reliquis animantibus, aſtruebant; eſſeque eoſdem celebre intermedium Dei, & hominum, veluti homo in ſe eſt tale inter Deum, & brutum: propemodùm differentes ab homine ſolùm, proùt autumauerat Ariſtoteles doctum ab indocto differre, vt differt viuus à mortuo. Quod adhuc, ad magnitudinem pietatis planè, erudit idem eloquentiæ Columen ijs: *Deus homines humo excitatos, celſos, & erectos conſtituit, vt eius cognitionem, cælos intuentes, capere poſſent.* Et ad idem propoſitum Poëta quoque ſic neruosè.

Ibid.

Ouid. 1. Meta.

Pronaquè cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumquè tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Ex ſacro verò textu quid frequentiùs didicimus, quàm Ducem vitæ æternæ Chriſtum, oculos ad cœlum attollentem. Noëmum item, eſtò in diebus iræ, & furoris Domini, eatenùs in ſummitate Arcæ feneſtram extruxiſſe, vt à cœlorum contemplatione, nec tunc, cum hi inſedato turbine exanimarent vniuerſa diſtraheretur. Quà proindè, eiuſmodi innumeris alijs prætermiſſis, ſat clarùm appareat, hunc cœlorum reſpectum, non modò quid proprium, ſed & connaturale homini eſſe. Quo ipſo quàm ſingularitèr excelluerit noſter Pater Apparitius, expedit peculiari hoc diſcurſu propensiùs expendere. Quippe cui adeò, dum viueret

